Zelled ②

Kirchenväter

CORPVS SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM LATINORVM

EDITVM CONSILIO ET IMPENSIS
ACADEMIAE SCIENTIARVM AVSTRIACAE

VOL. LXXIV

SANCTI AVRELI AVGVSTINI OPERA

SECT. VI PARS III

DE LIBERO ARBITRIO
LIBRI TRES

RECENSVIT
GVILELMVS M. GREEN

EDITIO SVBSIDIO PECVNIARIO
VNIVERSITATIS CALIFORNIENSIS IMPRESSA

VINDOBONAE
HOELDER-PICHLER-TEMPSKY
MCMLVI

SANCTI AVRELI AVGVSTINI OPERA

SECT. VI PARS III

DE LIBERO ARBITRIO
LIBRI TRES

RECENSVIT

GVILELMVS M. GREEN

KIRCHENVÄTER-KOMMISSION
der Österreichischen Akademie der
Wissenschaften
Wien I., Dr. Ignaz Seipel-Platz 2

VINDOBONAE
HOELDER-PICHLER-TEMPSKY
MCMLVI

OMNIA IVRA RESERVATA

VINDOBONAE
Ex universitatis Vindobonensis officina typographica
Adolphi Holzhausen Successorum

PRAEFATIO

I. DE ORIGINE LIBRORUM

Augustinus postquam mater anno 387 in Italia mortua est cum filio atque duobus amicis Romae per spatium unius anni commoratus est. Ibi plures libros aut scripsit aut incohavit, id est, De moribus ecclesiae catholicae, De moribus Manichaeorum, De animae quantitate, De libero arbitrio. Quorum operum haec duo formam habent disputationis, dum ipse partem magistri et amicus eius Euodius partem discipuli suscipiunt. Nomen quidem discipuli neque in codicibus librorum De libero arbitrio neque in Retractationibus legitur, sed epistula 162, 2 ab Augustino anno 415 scripta nos de hac re certiores facit. Ibi Euodio iam episcopo respondit: 'Illa si relegas quae tibi iam diu nota sunt vel, nisi fallor, fuerunt (quia ea fortasse oblitus es quae te conferente mecum ac sermocinante conscripsi, sive De animae quantitate sive De libero arbitrio), invenies unde dissolvas etiam sine opera mea dubitationes tuas.' De tempore ac ratione scribendi etiam in Retractationibus 1, 8, 1 scripsit idem Augustinus: 'Cum adhuc Romae demoraremur, voluimus disputando quaerere, unde sit malum, et eo modo disputavimus, ut, si possemus, id quod de hac re divinae auctoritati subditi credebamus, etiam ad intellegentiam nostram, quantum disserendo opitulante deo agere possemus, ratio considerata et pertractata perduceret. Et quoniam constitit inter nos diligenter ratione discussa malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio, tres libri quos eadem disputatio peperit appellati sunt De libero arbitrio. Quorum secundum et tertium in Africa iam Hippone Regio presbyter ordinatus, sicut tunc potui, terminavi.'

Opus igitur neophytus annis 387/88 incohavit, presbyter

391—395 absolvit, ita ut fortasse stilus in initio et in fine distingui possit. Nam in libro primo forma disputationis inter duas partes habitae semper servatur, dum omnibus fere in paginis Euodius sermonem identidem adsumit; in tertio autem libro post interrogationes quarti capitis (99, 8) duae orationes perpetuae sequuntur, quarum prima tam longa fere est quam tota disputatio primi libri, altera autem non multo brevior. Liber secundus medium locum habet, cum in prima parte sermo saepe mutetur, in altera autem discipulus vix audiatur. Alia quoque vestigia posterioris compositionis reperiri possunt, nam, ut demonstrat J. Finaert, L'Évolution Littéraire de Saint Augustin, 167—171, liber tertius magis et locutiones Christianorum proprias et constructiones verborum atque artis rhetoricae figuras aetate posteriore usitatas exhibet. Nulla tamen ratione quid Romae et quid Hippone scriptum sit accurate definire possum. Illud tantum licet suspicari Augustinum cum Euodio Romae sermocinantem rationem totius operis iniisse, deinde librum primum fortasse cum maiore parte secundi ilico scripsisse, reliquam autem partem post aliquot annos sive memoria sive codicillis fretum in Africa confecisse.

II. DE CODICIBUS

M Codicum qui hodie servantur antiquissimus est Monacensis Clm. 14527 s. IX, olim S. Emmerami Ratisbonensis, qui unus eorum Augustini librorum esse potest quorum mentio in catalogo illius monasterii s. X facta est (Becker, No. 42). Scriptura, ut me monet Bernhardus Bischoff, vir harum rerum doctissimus, talis est quae Iuvavi priore parte saeculi noni scribebatur. Tres libri De libero arbitrio folia 1—109 occupant, quos liber Augustini De vera religione, deinde opera posterioris aetatis sequuntur. Primus liber hodie superscriptione caret, sed in fine (fol. 23^{v}) litteris uncialibus scriptum habet 'Aurelii Augustini Epi **** ***** *******' (id est, 'Unde Malum Explicit', nam in rasura aliquot litterae

adhuc distingui possunt); deinde pagina sequente litteris capitalibus 'INCPT DE LIBERO ARBITRII VOLUNTATIS LIBER ******' (id est, 'PRIMUS'). Item in initio libri tertii 'INCPT LIB ********', id est secundus, et in fine sine rasura legitur 'Aurelii Augustine De Libero Arbitrio Voluntatis Lib̄ Scd̄ Explicit'. Qua re apparet primum librum titulum 'Unde Malum' habuisse et ceteros duos 'De Libero Arbitrio (Voluntatis)'. Qua in re codices MB TCAG XL F consentiunt, id est omnes ante s. XII scripti. Partes discipuli et magistri spiculis discernuntur quorum alterum deorsum spectans Euodium alterum sursum Augustinum indicat. Litteris minusculis scriptus codex etiam unciales habet non solum in initiis sententiarum sed etiam haud raro in mediis vocibus vel in fine. Neque voces diligenter distinguuntur, immo persaepe ligaturis &, c͡t, r͡t iunguntur. Manus altera eiusdem aetatis hic illic litteras vocesque omissas ex eodem exemplari, ut videtur, supplevit; menda autem quae cum TCAG communia habet communem fontem mendosum demonstrant. Ex his mendis pauca a manu fortasse s. XI correcta sunt (43, 8; 90, 21; 93, 15; 105, 15; 116, 13).

Item noni saeculi est codicis Basileensis B. VIII. 9 altera pars, folia 34^{r}—68^{v}, ex abbatia Murbacensi proveniens, quae unum librum 'Unde Malum' continet. Qui titulus in catalogo Murbacensi noni saeculi in fine sermonum Augustini legitur, quo loco etiam Speculum nominatur (H. Bloch, in Straßburger Festschrift, 1901, p. 265, no. 124). Unde licet suspicari nostrum libellum nondum cum ceteris religatum proprium locum inter libros bibliothecae etiam saeculo decimo tenuisse. Eadem bibliotheca tres libros De libero arbitrio habebat (ibid. no. 68), sed hic codex hodie non apparet. Codex Basileensis eadem sigla personarum habet quae Monacensis, sed textus ab alio fonte familiae β propiore derivatus est. Manus recentior (saeculi fortasse XV vel XVI) in summis paginis titulum 'de libero arbitrio' et supra sigla primae paginae nomina Euodii et Augustini addidit. B

α Quattuor codices, duo s. IX, duo autem s. XI scripti, plura opera Augustini continentes ab uno exemplari Andegavensi manavisse videntur. Textus librorum De libero arbitrio multis omissionibus aliisque mendis manifestis maculatus in tribus apographis TCA accurate descriptus est, in quarto G autem saepe aut coniectura aut auxilio aliorum
T exemplarium emendatus est. Horum antiquissimus est codex Parisinus 2700 olim liber Iacobi Augusti Thuani, deinde Colbertinus 4962, postea Regius 317. Post libros Unde malum et De libero arbitrio foliis 2—77 scriptos tria alia opera habet, id est De agone Christiano, De opere monachorum, In epistulam ad Galatos. A Maurinis 'Thuaneus' nominatus adhuc lineas rubricatas ab eis supra lectiones dubias ductas exhibet. In editione libri De agone ab J. Zycha siglo U designatus est. Andegavi post mediam partem saeculi noni ut me monet B. Bischoff scriptus est, quod iudicium perspicua cognatione cum altero codice Andegavensi A satis confirmatur. Partes dialogi in prima pagina Adeodato et Augustino (Ad, Aug) ut in dialogo De magistro tribuuntur, deinde siglis I R (Inquisitor, Responsor) designantur.

C Eiusdem familiae est codex Oxoniensis Trin. Coll. 4, olim, ut inscriptio nos certiores facit, monasterii sancti Augustini apud Cantuariam, qui libros Augustini De libero arbitrio foliis 8—74 et De agone Christiano una cum operibus aliorum scriptorum continet. Inter libros monasterii Cantuarensis catalogo s. XV nominatus est (M. R. James, The Ancient Libraries of Canterbury and Dover, 225). In regione Andegavensi vel Turonica sub finem saeculi noni, ut Bernhardo Bischoff videtur, scriptus est. In tertio libro manus posterior persaepe ex exemplari alterius familiae textum correxit, quas correctiones cum nihil novi afferant plerumque neglexi. Partes dialogi ut in prima pagina codicis T Adeodato et Augustino (AD, Aug̃) assignantur.

A His codicibus simillimus est Andegavensis 159 s. XI exeuntis, olim monasterii S. Sergii. Sine dubio est ille cui

nomen 'Sergiensis' Maurini dederunt, quamquam integrum sine lineis rubricatis ad propriam bibliothecam remiserunt. In prima pagina legitur recordatio doni cuiusdam 'in manu domini Bernardi' facti, qui abbas monasterii annis 1093—1102 fuit. Opera Augustini quinque habet De libero arbitrio, De agone Christiano, De opere monachorum, In epistulam Iohannis ad Parthos, In epistulam ad Galatos. Sigla I R communia cum T habet.

Eiusdem aetatis codex Parisinus 13361 olim sancti Germani a Pratis cum vestigia Maurinorum ubique exhibeat sine dubio est 'Germanensis' eorum quamquam lectio eius 134, 4 perperam relata est. Sigla collocutorum iacula sunt, quorum alterum ad dexteram spectans discipulum, alterum ad sinistram Augustinum designat. Textus plerumque idem est qui in codicibus TCA legitur, interdum tamen et menda manifesta et loca obscura correcta sunt, quarum correctionum nonnullae editoribus ita placuerunt ut aut in textum (27, 17; 47, 2; 71, 6; 104, 19) aut in marginem (20, 25; 50, 6—7) admissae sint. Exstant alii quoque codices velut Parisinus 15733, Florentinus Santa Croce XIII. D. 5, et praesertim Vaticanus Latinus 414 qui easdem correctiones exhibent, neque tamen, ut mihi persuasi, apographa codicis Germanensis esse possunt, qua re suspicor hunc ab exemplari emendato descriptum esse. G

Altera codicum familia in regionibus Europae septentrionalis decimo saeculo exorta postea late diffusa est. Cuius familiae antiquissimus est ille 'codex monasterii Maximini extra muros Treverorum' hodie in Museo Britannico sub numero Add. 10940 servatus, cuius scriptura, ut viro docto C. E. Wright videtur, decimi saeculi est. Quinque opera Augustini De magistro, De beata vita, De libero arbitrio, De vera religione, De praesentia dei ad Dardanum (Epist. 187) continet. Idem codex est qui in catalogo monasterii s. XI vel XII inter libros Augustini indicatur (Becker No. 76, 23); ab editore libri De beata vita Pio Knöll littera L signatus est. β x

Adnotationes in margine habet earum rerum quae in textu tractantur, textum autem correxit librarius non multo posterior coniectura fere ubique usus. Sigla M D partes magistri et discipuli indicant. Huius apographon est codex Parisinus Nouv. Acq. 371 s. XI, quippe qui et eadem menda et easdem correctiones exhibeat. Immo vero mendo 66, 5 invenies idem signum superscriptum quod in X correctionem marginalem indicat, correctio tamen in huius margine non apparet. Adnotationes marginales usque ad 62, 1 describit librarius. Codex usque ad annum 1841 in monasterio Floreffiae prope Namurcum servatus est.

L Fere eiusdem aetatis est codex Oxoniensis Laud. Misc. 113, quondam Carthusiensium prope Maguntiam. Quamquam catalogus eum s. XII ineunte scriptum esse indicat, sine dubio antiquior est, et si Bischoff vere iudicat posteriore parte s. X scriptus est. Post tres libros Unde malum et De libero arbitrio sequuntur Enarrationes in Psalmos. Interpretationes passim supra lineam scriptas apographon eius Laud. Misc. 117 s. XI vel XII in textum admisit una cum mendis ob notas male perceptas passim factis. Semel etiam lineam totam (fol. 37, 8 = 124, 1—3 templum — cedentium) casu praetermisit. Hi codices eadem sigla M D quae X et textum ei cognatum, multas tamen lectiones proprias aut cum sola familia δ communes habent, quibus librarius, ut videtur, lectori meliore stilo placere conatur. Sunt tamen quae probari possint, velut 68, 22, ubi mihi persuasi quinque voces 'cernimus — numeros' solis codicibus δ L servatas ex ceteris casu excidisse.

Eiusdem familiae sunt plures codices inter se arte coniuncti qui in Gallia septentrionali saeculis XII et XIII scripti
K sunt. Horum fortasse optimus est Parisinus 1921 s. XII, a monasterio sancti Martini Tornacensi profectus, cuius catalogo annis 1154—1159 confecto memoria eius servatur (Delisle, Cabinet II, 488; A. Boutemy in Misc. J. Gessler, 214). Libros De libero arbitrio foliis 1—51 scriptos ut in codicibus

M et X sequitur liber De vera religione. Cum menda manifesta et lectiones proprias fere nullas habeat, ab exemplari diligenter emendato descriptus esse videtur. Hunc laborem facile credimus in scriptorio Tornacensi factum esse, nam memoriae traditum est abbatem Odonem annis 1092—1105 magnam gloriam monasterio ob libros Augustini patrumque aliorum corrigendos et describendos adeptum esse (MGH SS XIV, 312; cf. A. Boutemy 'Odon d'Orleans' in Mélanges dédiés à la mémoire de Felix Grat, 179—222). Adnotationes marginales exhibet, illas quidem non easdem quae in X leguntur sed quae in ceteris codicibus cum K cognatis aut omnes aut pars earum servantur. Sigla habet A D (Augustinus, Discipulus) sicut codices cognati Parisinus 2033 s. XIII a S. Amando Elnonensi profectus et Cantabrigensis Trin. Coll. B. 3. 22 s. XII. Alii codices cognati partes tribuunt Augustino et Adeodato velut Sancti Osmerii 255 s. XII olim S. Mariae de Claro Marisco ubi catalogo s. XII notatur (Rev. Béned. 52, 117—140); Bononiensis 47 s. XII qui 'Vedastinus' Maurinorum esse potest; Duacensis 265 s. XII olim Marcianensis et Duacensis 266 s. XII qui apographon eius esse potest; Brugensis 116 s. XII, qui eadem opera Augustini habet quae codex s. Osmerii.

Alia etiam editio textus emendati saeculis XI et XII in Normannia apparuit, cuius exemplar antiquissimum est codex Vaticanus Reg. Lat. 107 s. XI exeuntis olim Fiscannensis. In foliis 178 binis columnis continet opera quaedam Augustini contra Manichaeos scripta, id est De moribus ecclesiae, De moribus Manichaeorum, In genesim contra Manichaeos, Contra epistulam fundamenti, Unde malum (fol 97^{v}—109), De libero arbitrio (fol. 109—149), De vera religione. A duobus amanuensibus exscriptus est quorum prior folio 99 desiit, alter opus confecit et adnotationes marginales addidit. Cognationem cum codice M demonstrant et textus et iacula quae partes dialogi indicant et coniunctio cum libro De vera religione. Omissiones et alia menda saepe coniectura ut videtur corri- γ F (F m 1)

F m 2 guntur, saepe tamen uno aut pluribus codicibus familiae β adhibitis, eodemque modo manus non multo posterior textum etiam amplius emendavit. Prioris recensionis habemus exem-
Rouen 476 plar alterum codicem Rotomagensem 476 s. XII olim Gemmeticensem, quo etiam Maurini usi sunt. Eadem scripta habet quae codex Fiscannensis neque apographon eius esse videtur, itaque conicere licet ambo ab uno exemplari derivatos esse. Ceteri codices R V easdem plerumque lectiones exhibent quas F m 2, scilicet ab exemplari posterioris recensionis derivatas.

R Praeter Gemmeticensem duobus codicibus cognatis usi sunt Maurini, quorum primus, id est Rotomagensis 473 s. XII a monasterio Audoenensi profectus, tria ex operibus contra Manichaeos cum aliis tribus coniuncta continet. Iaculis reiectis partes dialogi Rationi et Augustino (R A) assignat, dum Augustinus non iam magistri sed discipuli partem agit, ut in libro Soliloquiorum qui in hoc codice coniuncte praecedit.
V Alter est Parisinus 14473 olim Victorinus, qui foliis 228 binis columnis varia opuscula Hieronymi et Augustini continet, inter quae tria communia cum F sunt, Soliloquia autem cum R. Siglum ω magistrum et C discipulum designat, sed quid significent hae litterae ne suspicari quidem possum. Cum codices R V plerumque eundem textum qui in F (F m 2) legitur exhibeant, nonnullas tamen lectiones proprias habent e communi fonte derivatas, et aliquando V etiam longius procedit ut lectionem sibi soli propriam nobis offerat, quarum nonnullae in editione Maurinorum leguntur.

δ Codicum omnium in textu constituendo memorabilium familia recentissima in coenobio Claravallensi s. XII apparuit. Ibi operibus praegrandibus praetermissis opuscula Augustini septem tomis collecta sunt, e quibus sex in bibliotheca Tre-
S censi numero 40 designantur (A. Wilmart, Soc. Acad. du Depart. de l'Aube, Mémoires 81, 1947, 136—149; J. de Ghellinck, Liber Floridus, 1950, 63—82). Primum locum habent

duo libri Retractationum, deinde cetera opuscula ordine quo scripta sunt sequuntur, ita ut libri De libero arbitrio in foliis 108^{v}—137^{v} tomi primi legantur. Partes disputationis Augustino et Orosio tribuuntur (AG̅ OR̅). Mirum est cur librarii ad tantum opus parati crediderint Orosium Romae cum Augustino neophyto disputavisse, cum re vera ille non ante annum 414 consuetudinem cum episcopo Hipponensi iunxerit. Quisquis autem primus partem Orosio tribuit, sine dubio cognoverat hunc fuisse discipulum illum clarum, qui ipse librum de arbitrii libertate scripsisset, illum scilicet qui Liber Apologeticus vocatur; fortasse etiam notitiam habuit illius 'Dialogi quaestionum LXV sub titulo Orosii percontantis et Augustini respondentis' (Migne 40, 733—752), ubi inter alia quaestio unde malum breviter tractatur (Quaest. XVI). Librarii Claravallenses maiore licentia quam editores priores utuntur, dum non dubitant et verba addere (4, 11; 42, 2; 145, 13) et locutiones usitatiores substituere (37, 13; 103, 1) et formas verborum ad legem grammaticae revocare (39, 10) et ordinem persaepe ex libidine mutare. Quamquam textus ab exemplari familiae α derivatus esse videtur, in multis locis dubiis lectiones familiae β substituuntur, in aliis familiae γ. Cum codice L praesertim in tertio libro persaepe consentit, quorum locorum maxime memorabilis est 68, 22.


Cum codice S cognati, sed artiore vinculo inter se coniuncti extant plures codices s. XII et XIII, e quibus unum elegi Parisinum 16725 s. XII ab abbatia Cluniacensi S. Martini de Campis profectum. Similis codici Trecensi Retractationes Augustini continet una cum ceteris operibus suis locis dispositis, paulo tamen grandior undeviginti opera usque ad libros De sermone domini in monte habet; libri autem De libero arbitrio in foliis 79^{v}—98^{r} leguntur. Dum fere omnes codicis S lectiones proprias retinet, eandem libertatem textus amplius emendandi praesertim in verbis transponendis ex- Y

hibet. Haec textus forma etiam in aliis tribus s. XII codicibus apparet, id est in Parisino 14856 ab abbatia S. Victoris profecto et bibliothecae Mazarinae 620 et 623; in duobus etiam s. XIII, id est Parisino 15656 olim Sorbonico et Bostoniensi (Museum of Fine Arts 09.331) olim Regiomontensi. Horum codicum tres ultimi aeque atque S Y post libros Retractationum cetera opuscula in ordine habent. Codex Bostoniensis sine dubio ille Regiomontensis est quem Maurini in novem operibus castigandis adhibuerunt, quae omnia in Bostoniensi reperiuntur. In codice autem Mazarino 620 inscriptum legitur 'sce marie de valle', unde suspicari licet etiam hanc textus formam originem in scriptorio Claravallensi habuisse. Hi omnes siglis A ω (id est Augustinus, Orosius) utuntur.

E codicibus 150 mihi aut visu aut ex catalogis notis decem (e quibus illud apographon codicis X nullius momenti est) saeculis IX X XI, duodetriginta saeculo XII, ceteri postea scripti sunt. Omnes ante s. XII scriptos una cum septem illius saeculi totos contuli, e ceteris autem 37 modo in tantum ut horum cognationes apparerent. Quamquam in posterioribus nullas lectiones probabiles inveni nisi quae in antiquioribus leguntur, tamen ad historiam textus illustrandam una cum novem illis M B TCAG XL F alios quinque K RV SY in hac editione adhibui.

Cum libri Augustini omni tempore et in omnibus terris lectitati sint, non licet nobis credere omnes codices qui exstant ab uno archetypo aevi Caroli Magni manavisse, sed potius credimus multas lectiones variantes in fontibus antiquioribus originem habuisse. Evenire autem potuit ut in maioribus bibliothecis duo aut plura exemplaria eiusdem operis servarentur, sicut in bibliotheca Murbacensi s. IX et liber Unde Malum et libri tres De Libero Arbitrio locum habebant. Scriba igitur si mendum vel locum obscuriorem invenerat alterum exemplar adhibere potuit. Qua ex re stemma codicum cognationes exhibere vix potest, tanto minus quanto magis aetatibus recentioribus libri multiplicati sunt; itaque

codices s. XIII et XIV quos inspexi familiis suis assignare plerumque nequeo, antiquiorum tamen quos in textu constituendo adhibui cognationem sic exhibere licet:



III. DE EDITIONIBUS

Editio princeps operis De libero arbitrio inter alia opera genuina et suppositicia sancti Augustini Parmae anno 1491 typis impressa est, cuius libri magna pars eodem anno Venetiis iterum impressa est. Ab hac editione principe magna ex parte pendet illa Badii anno 1520 Parisiis impressa quam Maurini saepe citant. Textus plerumque ab exemplaribus familiarum α et δ derivari potuit; partes disputationis ut in δ Augustino et Orosio tribuuntur; ordo verborum qui in δ legitur et saepe servatus est et saepe verba transposita sunt. Ita evenit ut in omnibus libris impressis plus quam centum loci ab editoribus Claravallensibus et Parmensibus interpolati adhuc legantur.

Anno 1506 Basileae Iohannes Amerbachius opera omnia

sancti Augustini typis impressa primus edidit. In textu operis De libero arbitrio constituendo pro fundamento laboris editione Parmensi usus est, multos tamen locos exemplaribus familiarum β et γ fretus emendavit, praeterea codices B G S aut ipsos aut quosdam eis similes adhibuit (vide 35, 28; 20, 25; 55, 8). Lectiones variantes in margine adscripsit textumque in ea capitula quae adhuc servantur divisit. Partes dialogi postremo Augustino et Euodio tribuit quia, ut suspicor, epistula 162, 2 ei in notitiam venerat. Nam etsi nomina disputantium recentiore manu in codice Basileensi scripta leguntur, vix credibile est Amerbachium tam leve indicium secutum esse.

Anno 1529 Basileae iterum edidit opera Augustini Desiderius Erasmus. Amerbachii textum et apparatum criticum plerumque adhibuit, multos tamen locos coniectura emendavit (vide 39, 21; 58, 18; 59, 2; etc.). Anno autem 1576 apparuit editio theologorum Lovaniensium, qui auxilio codicis V aut alterius ei simillimi saepe textum Erasmi mutaverunt (33, 8; 37, 2; 56, 18; 67, 16; etc.).

Editionis Maurinorum primus tomus libros De libero arbitrio continens Parisiis anno 1679 typis excusus est. Codices undeviginti manu scriptos et editiones impressas Badii Erasmi Lovaniensium sibi subsidio fuisse nos monent editores. Quorum codicum solus extra fines Galliae servabatur Vaticanus Latinus 445 s. XV, cuius lectiones variantes sibi Romae exscribendas curaverunt Maurini, nullas tamen in textum receptas reperire potui. Ceterorum codicum maiorem partem iam supra nominavi, nonnulli autem deperditi sunt, inter quos Arnulfensis ille in bibliotheca Metensi s. XI numero 139 signatus, qui anno 1944 dum urbs ab armatis occupata defenditur incendio bibliothecae consumptus est. Textum saepe Maurini mutaverunt, praecipue ut videtur, codicibus Germanensi et Victorino freti, coniectura tamen fere nihil ausi sunt.

In hac re eos sequi malui, quin etiam coniecturas omnes recentiorum a textu excludere ausus sum, nam ubique ut mihi

persuasi codices manuscripti ea nobis proponunt quae verba genuina Augustini esse possunt. Horum duas familias antiquiores α et β fere eiusdem momenti habeo, praesertim eis locis ubi M cum α et B cum β consentiunt. Familias recentiores cum et magis contaminatae et liberius interpolatae sint minoris pretii aestimo, sed nonnullis locis aut una aut altera lectionem potiorem habere videtur. Nam in traditione ut dicitur aperta, ubi velut in scripturis sanctis vel scriptis patrum ubique lectitatis exemplaria quovis tempore conferri et corrigi potuerunt, nulla lex est qua vera lectio a veri simili discernatur. Ideo non mihi dubium est quin lector doctus in apparatu multarum paginarum verba inventurus sit quae in textu libentius legisset.*

IV. DE REBUS ORTHOGRAPHICIS

Codices omnes recentiores sunt quam ut certum indicium orthographiae Augustinianae exhibere possint. Antiquiores tamen M B XL F plerumque barbarismis temporis posterioris carent ideoque eos sequi malui, et ubique exceptis quisbusdam verbis lectio codicis M aut in textu aut in apparatu sub oculis est. Nam crebri lapsus eius hic aptius quam in apparatu pro- M
ponantur:

ae pro *e*: *-quae* pro *-que* (ut *nequae* 41, 23) 129ies numeravi, plerumque tamen rasura correctum. Praeterea hae syllabae eadem nota *q*: scribi possunt, scilicet *q*: (= quae) 107, 21 et *atq*: 108, 12. In adverbiis, velut *malae* 7, 3, locos 31 numeravi, quorum nonnulli correcti sunt. Syllaba *prae* pro *pre* (velut *inpraessa* 16, 5; *conpraehendimus* 44, 13) 12ies legitur; utraque autem syllaba nota $\bar{p}$ designari potest. Alibi autem *caenam* 71, 29; *paenitus* 23, 18;

---

* De codicum familiis conferre potes quae iam scripsi „Mediaeval Recensions of Augustine" in *Speculum* XXIX (1954, No. 3), pp. 531—534; de quibusdam locis ubi textum Maurinorum mutavi „Textual Notes on Augustine's De Libero Arbitrio", *Rev. de Philologie* XXVIII (1954), 21—29.

80, 23; 87, 29; 88, 7; *relinquaerunt* (= reliquerunt) 40, 29; *c*ecidit* 88, 17; *corporęae* 119, 9.

b pro *p*: *labsu* 92, 5; *obtimo* 116, 10.

c pro *qu*: *secuntur* 59, 13; *consecuntur* 151, 15.

c pro *ch*: *pulcritudo, pulcra* 74, 26; 77, 26. 27.

d pro *t*: *inquid* 41, 20; *idem* 54, 14; *quod* (corr. *quot*) 62, 25. 27; *adque* (corr. *atque*) 73, 14; 110, 27; *essed* 76, 30; *cogitandi* 101, 8; *aliquod* (corr. *aliquot*) 114, 13.

e pro *ae*: dum hunc codicem sequor, in textum *hereo* et verba inde derivata 23ies admisi; *questio* ter; *hereticos* 5, 26; *erumnam* 134, 26. Cetera non admisi velut *pre* 153, 1 et verba inde composita 17; *que* sexies; *queramus* aliasque formas 7; *ille* quinquies et alia feminina ita desinentia 21ies; *cecam* aliasque formas quater; *penitendi* 103, 5; *estimat* 104, 20; *l&itias* 115, 24.

e pro *oe*: *ceperimus* 68, 23; *ceperunt* 145, 19.

e pro *i*: *lege* (= legi) 32, 15 et alibi undecies, interdum correctum.

h omisit: *ortatus* 41, 17; *omnibus* (corr. *hominibus*) 63, 2; 73, 8; *exortandam* 139, 13; *actenus* 140, 12.

h addidit: *cohercet* 33, 16; cf. adnotationem criticam 26, 28.

i pro *e*: *legis* 15, 9; *didisse* 38, 13; *si* (corr. *se*) 47, 18. 19; *iri* 82, 17; *saltim* 7, 6; 20, 17; 40, 8; 126, 13.

i pro *y*: *martiribus* 8, 12.

n pro *m*: *sublimen* 114, 16.

o pro *u*: *luxoria* 23, 26; *ullos* 59, 29; *iocundius* etc. (corr. *iuc-*) sexies; *iocunditas* 153, 21; *peccatorum* (corr. *-turum*) 92, 28; *peccator* (corr. *-tur*) ter; *creatoris* (corr. *-turis*) 105, 6; *dom* (corr. *dum*) 123, 29; *eligendo* (corr. *-dum*) 132, 23.

p addidit: *contempnunt* 104, 28.

qu pro *c*: *quur* 6, 17; 7, 16.

t pro *d*: *at* 34, 30.

u pro *o*: *conversus* (corr. *-sos*) 71, 9; *cunditione* 73, 7; *nolu* (corr. *nolo*) 129, 20; *cuniugio* 134, 24.

v pro *b*: *flavilisque* 101, 16; *acervissimas* (corr. *acerb-*) 24, 12.
y pro *i*: *styrpibus* 18, 29.
simplex consona pro geminatis velut: cc: *acomodatius* 105, 7; *vacam* 124, 27; pp: *apelatur* etc. quinquies; *oportunus* quater; *suplementa* 123, 22; *suplicum* 112, 21.

Praepositiones in verbis compositis plerumque formas proprias sine assimilatione retinent; quaedam verba tamen variantur, velut: adpetere (*app-* ter), adtendere (*att-* quinquies); adtingere (*atingit* 48, 18; *attingit* 48, 21. 28); adtollere (*attollere* 139, 28); conperire (*compertum* quinquies); inmanis (*immanius* 12, 10); inperitus (*imperitis* 13, 25); inprobare (*imp-* bis); inprudentem (*imprudenti* 9, 31); inpune (*impunita* 14, 1); obtemperare (*opt-* quater); obtinere (*opt-* ter). Aliae voces non sine assimilatione consonarum apparent, velut: *allicit* 151, 17; *appellare, apellare* passim; *aspicere* 47, 16; 114, 1; *impedit* 28, 16; *implevit* 12, 14; *impotentiora* 21, 21.

Codex Basileensis in rebus orthographicis plerumque Monacensi similis est: B

ae (ę) pro *e*: adverbia ita desinentia numeravi 15, velut *iustę* 4, 5; 15, 33; 21, 23; verba cum *pre* composita *conpraehendere* 7, 6; *depraehenderetur* 8, 27; *depraecantes* 14, 14; item *faerinae* 19, 7; *istae* 27, 19; *nemoquae* 30, 28.
ae pro *oe*: *paena* 23, 10.
c pro *qu*: *secuntur* 36, 3.
d pro *t*: *relinquid* 13, 1.
e pro *ae*: *premia* 3, 13; *prestantius* 5, 10; 18, 6; *prestare* 17, 14; 36, 4; *questionem* 5, 25 et alibi ter; *adipiscende* 9, 12 et alia feminina tria; *cede* (= caede) 12, 2; *inherentem* 23, 18. 31 (sed *inhęret* 26, 12); *seviat* 23, 20.
e pro *i*: *degladiantur* 11, 23; *rediculum* 21, 3.
h omisit: *ac* 27, 7.
h addidit: *habundet* 26, 12; *habeo* (= ab eo) 27, 29; *nihilhominus* 31, 23.
i pro *e*: *saltim* ter.
k pro *c*: *karissimam* 31, 15.

p addidit: *dampno* 25, 28 (sed *damna* 26, 25); *contempnit* 27, 22 (sed *contemnimus* 26, 26).

qu pro *c*: *quur* 6, 17.

v pro *b*: *acervissimas* 24, 12.

Rarissime assimilationem consonarum admisit: *ammoneor* 5, 6; *appetunt* 11, 6; alibi *comp-* et *imp-* octies leguntur.

X Codex Londiniensis inter alia haec menda habet:

ae pro *e*: *propriae ac purae* 18, 19 et alia adverbia tria; *faerine* (= ferinae) 19, 7; *illae* 59, 1; *eaquę* 72, 20; *repraehendis* 89, 14. 16; *depraehendi* 90, 12; *inpraesse* (= inpressae) 107, 21.

c pro *uq*: *consecuntur* 151, 15.

d pro *t*: *inquid* 41, 20; *velud* 151, 11.

e pro *ae*: *querit* 5, 18. 19 et passim; *tante* 14, 9 et alias voces femininas 7; *l&icia*, *l&atur* etc. quinquies; *hereo*, *inhereo* passim (sed *inhęr&* 76, 31); *questio* septies (sed *quęstio* 17 ies); *prescit* 95, 29; *eger* 109, 16; *etatem* 145, 18.

e pro *i*: *contempne* (corr. *-pni*) 13, 20; *redere* (corr. *ridere*) 19, 11.

e pro *oe*: *penam*, *pena* (sed *poena* bis) 132, 11—14.

h omisit: *exortandam* 139, 13; *actenus* 140, 12.

h addidit: *habundet* 26, 12; *cohercens* 26, 28; 33, 16; *obhorto* 30, 2; *trahiciat* 144, 13.

p pro *b*: *optemperare* quater (alibi *obt-*); *optinere* bis (alibi *obt-*).

t pro *d*: *set* 55, 15.

y pro *i*: *tybiarum* 72, 7; *cybus* 116, 14; *sydera* 104, 26; 114, 5.

consonae geminatae pro simplici: *repperiri* 9, 26; *peccora* sexies (sed *pecoribus* 18, 28); *reccidat* 79, 26; *oppitulante* 82, 23; *apperiri* 133, 19.

Ut in codicibus M B consonae verborum compositorum maiore ex parte non assimilantur; adeo tamen inconstans scriba est ut nonnulla verba sicut *attinent attingit* saepius cum assimilatione, usitatissima binis scribendi modis scribat.

L Codex Oxoniensis Laudianus quamquam saepe cum prioribus consentit, fere ubique consonas assimilatas habet

exceptis vocibus cum praepositione *in* compositis, velut *inprudenti*, *inlatum*, *inmanis*, *inlustrius*, *inlabitur*. Semper *dampno*, *dampnum*, *dampnatio*, *contempno*, *quatuor*, *questio*, *leticia*, *erumna*, *inhaereo*, *coherceo*, et cum B X consentiens *habundet* 26, 12 scribit. Codex Fiscannensis etsi recentior pro- F
pius tamen Monacensi accedit, dum composita plerumque sine assimilatione consonarum et multa alia cum illo communia exhibet, quorum partem in apparatu dedi.

V. DE CLAUSULIS

Clausulas etiam quibus sententiae clauduntur investigavi, si forte textum locis dubiis confirmare possent. Ex 500 clausulis repperi eas esse frequentissimas in quibus pedem creticum spondaicus sequitur (90ies) et in quibus dichoreus (73ies) vel duo cretici (64ies) in fine stant. Hae structurae eaedem sunt quas Augustinus in operibus elaboratis saepissime scripsit (cf. 'Il Ritmo Prosaico in S. Agostino' in Miscellanea Agostiniana 633—638). Et in locis mutandis fere ubique codices aut omnes aut potiores clausulas potiores exhibent (39, 1; 51, 30; 58, 26; 61, 13; 119, 3; 135, 20; 138, 27; 146, 4), duobus tamen locis (82, 16; 150, 20) constructionem minus elegantem habent.

Denique capita et capitula veterum editionum nimis longa esse ratus textum in breviores sectiones divisi, quarum numeros crassioribus typis excudi iussi, numeris veteribus in margine typis minoribus adiectis.

Restat ut gratias eis agam qui me in hoc labore auxilio iuverunt, quos nullo modo omnes hic nominare possum. Nam et in patria et in terris alienis Francorum Anglorum Germanorum Helvetiorum Italorum viros doctos inveni qui inscientiae meae mederi liberaliter volebant. Quantum viro docto Bernhardo Bischoff in rebus palaeographicis debeam satis ut opinor ex his quae iam dixi apparet. In his rebus alii quoque mihi consilium gratum dederunt, inter quos et feminam variis

adminiculis semper paratam J. Vielliard et viros C. E. Wright, R. W. Hunt, G. Meyer, L. W. Jones nominare possum, una cum E. A. Lowe, qui et in aliis rebus me monuit et de scriptura codicum Bischoff consulere iussit. Neque vir doctus Basileensis H. Fuchs me tironem in his studiis erudire recusavit, nam et per epistulas et per sermonem in suis aedibus habitum me benigne docuit. Denique in paginis iam excussis denuo corrigendis vir peritus Vincentius Bulhart magnum sibi laborem sumpsit, qui etiam nonnullos meos lapsus notavit et quibusdam locis mihi ut lectiones difficiliores codicis Monacensis acciperem persuasit. Postremo maximam gratiam debeo praesuli et regentibus Universitatis Californiensis qui mihi vacationem unius anni ab laboribus scholasticis dederunt; iidem autem subsidium ad librum excudendum donaverunt. Eis quoque gratias ago qui opes Societatis Philosophicae Americanae tuentur, e quibus mihi impensas longinqui itineris magna ex parte suppeditaverunt.

William M. Green,
Universitatis Californiensis.

S. AVRELI AVGVSTINI

DE LIBERO ARBITRIO

LIBRI TRES

Conspectus siglorum

M = Monacensis Clm. 14527, saec. IX ineuntis

B = Basileensis B, VIII, 9, saec. IX, librum primum continens

α: T = Parisinus 2700, saec. IX, olim Thuaneus

C = Oxoniensis Trin. Coll. 4, saec. IX exeuntis, olim Cantuariae

A = Andegavensis 159, saec. XI exeuntis, olim Sergiensis

G = Parisinus 13361, saec. XI, olim Germanensis

β: X = Londiniensis Brit. Mus. Add. 10940, saec. X, olim S. Maximini Treverorum

L = Oxoniensis Laud. Misc. 113, saec. X, olim Carthusiensium prope Maguntiam

K = Parisinus 1921, saec. XII, olim S. Martini Tornacensis

γ: F = Vaticanus Reg. Lat. 107, olim Fiscannensis, saec. XI

R = Rotomagensis 473, saec. XII, olim Audoenensis

V = Parisinus 14473, saec. XII, olim Victorinus

δ: S = Trecensis 40, saec. XII, olim de Clara Valle

Y = Parisinus 16725, saec. XII, olim S. Martini a Campis

α = TCAG β = XLK γ = FRV δ = SY *codd* = consensus codicum

a = editio Amerbachii Basileensis 1506

e = editio Erasmi Basileensis 1528

l = editio theologorum Lovaniensium 1576

m = editio Maurinorum Parisina 1679

edd = consensus harum editionum

DE LIBERO ARBITRIO

LIBER PRIMUS

I. 1. **1.** *E(uodius:)* Dic mihi, quaeso te, utrum deus non sit auctor mali.

A(ugustinus:) Dicam, si planum feceris, de quo malo quaeras. Duobus enim modis appellare malum solemus: uno, cum male quemque fecisse dicimus, alio, cum mali aliquid esse perpessum.

E. De utroque scire cupio.

A. At si deum bonum esse nosti vel credis — neque enim aliter fas est —, male non facit. Rursus, si deum iustum fatemur — nam et hoc negare sacrilegum est —, ut bonis praemia, ita supplicia malis tribuit; quae utique supplicia patientibus mala sunt. **2.** Quamobrem si nemo iniuste poenas luit, quod necesse est credamus, quandoquidem divina providentia hoc universum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi auctor est deus.

E. Est ergo alius auctor illius mali, cuius deum non esse compertum est?

1—2 *Titulum exscripsi ex verbis Augustini Epist. 162, 2 et Retract. 1, 8, 1, consentientibus codicibus KVYS;* DE LIBERO VOLUNTATIS ARBITRIO *R*, AURELII AUGUSTINI UNDE MALUM *α*, *cui titulo* 'unde malum' *consentiunt M B F XL* 3 Euodius] *nomen discipuli inquirentis reperies Epist. 162, 2, in codicibus autem variis siglis notantur discipulus et magister:* ↓↑ *M B F*, ·I··R· *id est, Inquisitor et Responsor AT*, Ad. Aug. *id est, Adeodatus et Augustinus* C *cui consentit prima pagina codicis T*, →← *G*, ·D··M· *id est, discipulus et magister XL*, ·D··A· *id est, discipulus et Augustinus K*, ·C··ω· *V*, A R *id est, Augustinus et Ratio R*, ·ω··A· *id est, Orosius et Augustinus YS* michi *α K R*, i m *V S Y*, *cf. p. 4, 29; 6, 24* 6 solemus malum *edd* 14 quapropter *L* 19 conpertum *B*

3. *A.* Est certe; non enim nullo auctore fieri posset. Si autem quaeris, quisnam iste sit, dici non potest; non enim unus aliquis est, sed quisque malus sui malefacti auctor est. Unde si dubitas, illud attende quod supra dictum est, maleficia iustitia dei vindicari. Non enim iuste vindicarentur, nisi fierent voluntate.

4. *E.* Nescio utrum quisquam peccet, qui non didicerit; 2. quod si verum est, quisnam ille sit, a quo peccare didicerimus, inquiro.

A. Aliquid boni existimas esse disciplinam?

E. Quis audeat dicere malum esse disciplinam?

A. Quid, si nec bonum nec malum est?

E. Mihi bonum videtur.

A. Bene sane, siquidem scientia per illam datur aut excitatur nec quisquam nisi per disciplinam aliquid discit. An tu aliter putas?

E. Ego per disciplinam non nisi bona disci arbitror.

5. *A.* Vide ergo ne non discantur mala; nam disciplina nisi a discendo non dicta est.

E. Unde ergo ab homine fiunt, si non discuntur?

A. Eo fortasse, quod se a disciplina, id est a discendo, avertit et abalienat. Sed sive hoc sive aliud aliquid sit, illud certe manifestum est, quoniam disciplina bonum est et a discendo dicta est disciplina, mala disci omnino non posse. **6.** Si enim discuntur, disciplina continentur atque ita disciplina non erit bonum. Bonum est autem, ut ipse concedis; non igitur discuntur mala est frustra illum, a quo male facere discimus, quaeris. Aut si discuntur mala, vitanda, non facienda discuntur. Ex quo male facere nihil est nisi a disciplina deviare.

---

4 Cf. Retract. 1, 8, 3

---

4 adtende *B X* 8 sit ille *edd* 11 quis] immo plurimum quis *δ* 17 ergo *B* e*go *M* 18 ergo *om. TCA* 19 est dicta *γ* 22 aliquid aliud *V* 24 et disciplina *δ* 25 continetur *M* 29 nichil *α δ K R V quam orthographiam ubique exhibent hi codd*

3. **7.** *E.* Prorsus ego duas esse disciplinas puto: unam per quam bene facere, aliam per quam male facere discimus. Sed cum quaereres, utrum disciplina bonum esset, ipsius boni amor intentionem meam rapuit, ut illam disciplinam intuerer, quae bene faciendi est, ex quo bonum esse respondi; nunc autem admoneor esse aliam, quam procul dubio malum esse confirmo et cuius auctorem requiro.

8. *A.* Saltem intellegentiam non nisi bonum putas?

E. Istam plane ita bonam puto, ut non videam quid in homine possit esse praestantius, nec ullo modo dixerim aliquam intellegentiam malam esse posse.

A. Quid? cum docetur quisque, si non intellegat, poteritne tibi doctus videri?

E. Omnino non poterit.

9. *A.* Si ergo omnis intellegentia bona est nec quisquam, qui non intellegit, discit, omnis qui discit bene facit. Omnis enim qui discit intellegit et omnis qui intellegit bene facit. Quisquis igitur quaerit auctorem, per quem aliquid discimus, auctorem profecto, per quem bene facimus quaerit. Quapropter desine velle investigare nescio quem malum doctorem. Si enim malus est, doctor non est; si doctor est, malus non est.

I. 4. **10.** *E.* Age iam, quoniam satis cogis, ut fatear non nos discere male facere, dic mihi unde male faciamus.

A. Eam questionem moves, quae me admodum adulescentem vehementer exercuit et fatigatum in hereticos impulit atque deiecit. Quo casu ita sum adflictus et tantis obrutus acervis inanium fabularum, ut, nisi mihi amor in-

---

25 Cf. Conf. 3, 7, 12; 7, 7, 11

---

1 disciplinas esse *δ edd* 6 ammoneor *δ B L V* 8 saltim *B L* intelligentiam *α δ K R V et ita deinceps* 9 bonum *α* 12 intelligat *α δ K R V* 24 mala *C X L* facimus *Y* 25 quaestionem *C A F* q̄stionem *V* adolescentem *α γ δ L K* 26 in hereticos *om. B* 27 afflictus *α δ L R V*

veniendi veri opem divinam impetravisset, emergere inde atque in ipsam primam quaerendi libertatem respirare non possem. **11.** Et quoniam mecum sedulo actum est, ut ista quaestione liberarer, eo tecum agam ordine, quem secutus evasi. Aderit enim deus et nos intellegere quod credidimus faciet. Praescriptum enim per prophetam gradum, qui ait: Nisi credideritis, non intellegetis, tenere nos bene nobis conscii sumus. Credimus autem ex uno deo esse omnia quae sunt et tamen non esse peccatorum auctorem deum. Movet autem animum, si peccata ex his animabus sunt quas deus creavit, illae autem animae ex deo, quomodo non parvo intervallo peccata referantur in deum.

12. *E.* Id nunc plane abs te dictum est quod me cogitantem satis excruciat et quod ad istam inquisitionem coegit et traxit. 5.

A. Virili animo esto et crede quod credis; nihil enim creditur melius, etiamsi causa lateat cur ita sit. Optime namque de deo existimare verissimum est pietatis exordium nec quisquam de illo optime existimat, qui non eum omnipotentem atque ex nulla particula commutabilem credit, bonorum etiam omnium creatorem, quibus est ipse praestantior, rectorem quoque iustissimum eorum omnium quae creavit, nec ulla adiutum esse natura in creando, quasi qui non sibi sufficeret. **13.** Ex quo fit ut de nihilo creaverit omnia, de se autem non crearit, sed genuerit quod sibi par esset, quem filium dei unicum dicimus; quem cum planius enuntiare conamur, dei virtutem et dei sapientiam nominamus, per quam fecit omnia quae de nihilo facta sunt.

---

7 *Esai. 7, 9 LXX 27 cf. I Cor. 1, 24

---

4 questione *B G LK δ* 8 omnia esse *Y edd* 10 iis *lm sicut p. 11, 6 et passim* animis *M B TCA K* 11 non *abundat; cf. A L L 4, 320* 14 iniquitatem *V* 17 quur *M B* 18 estimare *δ* 21 creatorem omnium *B* ipse est *K* 24 nichilo *α K RV δ* 25 crearit] creaverit *α γ δ edd* 28 facit *V*

Quibus constitutis ad intellegentiam eius rei quam requiris opitulante deo nitamur hoc modo.

II. 6 **14.** Quaeris certe unde male faciamus; prius ergo discutiendum est, quid sit male facere; qua de re tibi quid videatur exprome. Quod si non potes totum simul breviter verbis conprehendere, saltim particulatim malefacta ipsa commemorando sententiam tuam notam fac mihi.

E. Adulteria et homicidia et sacrilegia, ut omittam cetera, quibus enumerandis vel tempus vel memoria non suppetit, quis est cui non male facta videantur?

15. *A.* Dic ergo prius cur adulterium male fieri putes; an quia id facere lex vetat?

E. Non sane ideo malum est quia vetatur lege, sed ideo vetatur lege quia malum est.

A. Quid? si quispiam nos exagitet, exaggerans delectationes adulterii et quaerens a nobis, cur hoc malum et damnatione dignum iudicemus, num ad auctoritatem legis confugiendum censes hominibus iam non tantum credere sed intellegere cupientibus? **16.** Nam et ego tecum credo et inconcusse credo omnibusque populis atque gentibus credendum esse clamo malum esse adulterium. Sed nunc molimur id, quod in fidem recepimus, etiam intellegendo scire ac tenere firmissimum. Considera itaque quantum potes et renuntia mihi, quanam ratione adulterium malum esse cognoveris.

E. Hoc scio malum esse, quod hoc ipse in uxore mea pati nollem. Quisquis autem alteri facit, quod sibi fieri non vult, male utique facit.

17. *A.* Quid? si cuiuspiam libido ea sit, ut uxorem suam praebeat alteri libenterque ab eo corrumpi patiatur, in cuius

---

3 malae *M* malum *B* mala *K* 4 quid tibi *C* 5 exprime *X S* verbis breviter *V* 6 saltem *α FR edd* 16 quur *M K* 17 dampnatione *AG β FV S, cf. infra p. 8, 8* iudicamus *C* 22 finem *A* 26 ipse hoc *K* 29 quod si *B* ut] et *B*

uxorem vicissim cupit parem habere licentiam, nihilne male facere tibi videtur?

E. Immo plurimum.

A. At iste non illa regula peccat; non enim facit quod pati nolit. Quamobrem aliud tibi quaerendum est, unde adulterium malum esse convincas.

18. *E.* Eo mihi videtur malum, quod huius criminis homines vidi saepe damnari. 7.

A. Quid? propter recte facta nonne homines plerumque damnati sunt? Recense historiam, ne te ad alios libros mittam, eam ipsam quae divina auctoritate praecellit; iam invenies, quam male de apostolis et de omnibus martyribus sentiamus, si placet nobis damnationem certum indicium esse malefacti, cum illi omnes damnatione digni propter confessionem suam iudicati sunt. **19.** Quamobrem si quicquid damnatur malum est, malum erat illo tempore credere in Christum et ipsam confiteri fidem. Si autem non omne malum est quod damnatur, quaere aliud, unde adulterium malum esse doceas.

E. Quid tibi respondeam non invenio.

20. *A.* Fortassis ergo libido in adulterio malum est, sed dum tu foris in ipso facto, quod iam videri potest, malum quaeris, pateris angustias. Nam ut intellegas libidinem in adulterio malum esse, si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere et, si potestas detur, esse facturum, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur. 8.

21. *E.* Nihil est omnino manifestius et iam video non opus esse longa sermocinatione, ut mihi de homicidio et sacrilegio ac prorsus de omnibus peccatis persuadeatur. Clarum est

---

1 parem cupit *l m* mali *α δ edd* 2 tibi facere *δ a e l* 5 malum esse adulterium *Y edd* 7 videtur mihi *B* 8 saepe vidi dampnari *K* plerumque damnari solent *G* damnari] dampnari *β A F V* 10 libros *om. X L* 12 martiribus *M V Y* 15 sint *T G K F R S* quidquid *B m* 26 facturum esse *edd*

enim iam nihil aliud quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari.

IV. 9. **22.** *A.* Scisne etiam istam libidinem alio nomine cupiditatem vocari?

E. Scio.

A. Quid? inter hanc et metum nihilne interesse an aliquid putas?

E. Immo plurimum haec ab invicem distare arbitror.

A. Credo te ob hoc arbitrari, quia cupiditas adpetit, metus fugit.

E. Est ita ut dicis.

A. Quid si ergo quispiam non cupiditate adipiscendae alicuius rei, sed metuens, ne quid ei mali accidat, hominem occiderit? Num homicida iste non erit?

23. *E.* Erit quidem, sed non ideo factum hoc cupiditatis dominatu caret; nam qui metuens hominem occidit, cupit utique sine metu vivere.

A. Et parvum tibi bonum videtur sine metu vivere?

E. Magnum bonum est, sed hoc illi homicidae per facinus suum provenire nullo modo potest.

24. *A.* Non quaero, quid ei provenire possit, sed quid ipse cupiat. Certe enim bonum cupit, qui cupit vitam metu liberam, et idcirco ista cupiditas culpanda non est; alioquin omnes culpabimus amatores boni. Proinde cogimur fateri esse homicidium, in quo nequeat malae illius cupiditatis dominatio repperiri, falsumque erit illud, quod in omnibus peccatis ut mala sint libido dominatur; aut erit aliquod homicidium, quod possit non esse peccatum.

25. *E.* Si homicidium est hominem occidere, potest accidere aliquando sine peccato. Nam et miles hostem et iudex vel minister eius nocentem, et cui forte invito atque im-

---

9 appetit *B LK RV* δ 16 itaque *X* 18 videtur bonum *B edd* 24 homicidium esse *RV* 26 repperiri *M B XK V* 27 dominetur δ *a el* 29—10, 3 *partes ita divisas habent* γ *G m, ceteri sermonem usque ad p. 10, 2* occidunt *Augustino, deinde ad 3* solent *Euodio tribuunt* 31 inprudenti *B XL*

prudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt.

A. Adsentior, sed homicidae isti appellari non solent. Responde itaque, utrum illum, qui dominum occidit, a quo sibi metuebat cruciatus graves, in eorum numero habendum existimes, qui sic hominem occidunt, ut ne homicidarum quidem nomine digni sint?

E. Longe ab eis istum differre video, nam illi vel ex legibus faciunt vel non contra leges, huius autem facinus nulla lex adprobat.

26. *A.* Rursus me ad auctoritatem revocas, sed meminisse te oportet id nunc a nobis esse susceptum, ut intellegamus quod credimus. Legibus autem credimus; temptandum itaque est, si quo modo possumus, id ipsum intellegere, utrum lex quae punit hoc factum non perperam puniat. 10.

27. *E.* Nullo modo perperam punit, quandoquidem punit eum, qui volens et sciens dominum necat, quod nullus illorum.

A. Et quid? recordaris te paulo ante dixisse in omni facto malo libidinem dominari et eo ipso malum esse?

E. Recordor sane.

28. *A.* Quid? illud nonne idem tu concessisti, eum, qui cupit sine metu vivere, non habere malam cupiditatem?

E. Et hoc recordor.

A. Cum ergo ista cupiditate a servo dominus interimitur, non illa culpabili cupiditate interimitur. Quamobrem cur sit hoc facinus malum, nondum comperimus. Convenit enim inter nos omnia malefacta non ob aliud mala esse nisi quod libidine, id est improbanda cupiditate, fiunt.

29. *E.* Iam mihi videtur iniuria iste damnari, quod quidem non auderem dicere, si aliud haberem quod dicerem.

---

3 assentior α *L RV* δ 8 defecre *B* 10 adprobat *M B X* approbat *cet.* 17 eorum β *G* istorum *m* istorum facit *a e l* 18 ecquid *m* 25 non—interimitur *om. M* α γ, *sed lacunam recte supplevit C m 2, perperam 18 verbis TA, 12 verbis G* 26 hoc *om. XL* 30 dicerem] dicere *B (cf. Thes. l. L. VI 3, 2438, 52)*

A. Itane est? Prius tibi persuasisti tantum scelus impunitum esse oportere, quam considerares utrum ille servus propter satiandas libidines suas metu domini carere cupiverit. **30.** Cupere namque sine metu vivere non tam bonorum, sed etiam malorum omnium est; verum hoc interest, quod id boni appetunt avertendo amorem ab his rebus, quae sine amittendi periculo nequeunt haberi; mali autem, ut his fruendis cum securitate incubent, removere impedimenta conantur et propterea facinorosam sceleratamque vitam, quae mors melius vocatur, gerunt.

31. *E.* Resipisco et admodum gaudeo tam me plane cognovisse, quid sit etiam illa culpabilis cupiditas, quae libido nominatur. Quam esse iam apparet earum rerum amorem, quas potest quisque invitus amittere.

'. 11. Quare nunc, age, quaeramus, si placet, utrum etiam in sacrilegiis libido dominetur, quae videmus plura superstitione committi.

32. *A.* Vide ne praeproperum sit. Prius enim mihi discutiendum videtur utrum vel hostis inruens vel insidiator sicarius, sive pro vita sive pro libertate sive pro pudicitia, sine ulla interficiatur libidine.

E. Quomodo possum arbitrari carere istos libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti? Aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi?

33. *A.* Non ergo lex iusta est, quae dat potestatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuipiam viro aut feminae, ut violenter sibi stupratorem in-

---

1 est *om. edd* 4 tam] tantum *Lm2δ elm* 6 adpetunt *M* iis *lm* 8 incumbent *BXK* incumbant *YLael* incubant *S* 9 facinerosam *M* 11 tam] iam *Bβ* 12 culpabilis illa *Bβ* 19 inruens *MBF* irruens *cet.* 21 illa *MBβFR* 23 iis *lm* 26 *partes ita divisas habent Gγδm, ceteri Euodio tribuunt verba usque ad p. 12, 15* fuerit, *deinde partes mutantur ad p. 13, 21* sint 28 inruentem *MBX* irruentem *cet.*

ruentem ante inlatum stuprum, si possit, interimat. Nam militi etiam iubetur lege, ut hostem necet, a qua caede si temperaverit, ab imperatore poenas luit. Num istas leges iniustas vel potius nullas dicere audebimus? Nam lex mihi esse non videtur, quae iusta non fuerit.

34. *E.* Legem quidem satis video esse munitam contra 12. huiuscemodi accusationem, quae in eo populo quem regit minoribus malefactis, ne maiora committerentur, dedit licentiam. Multo est enim mitius eum, qui alienae vitae insidiatur, quam eum, qui suam tuetur, occidi, et multo est immanius invitum hominem stuprum perpeti quam eum, a quo illa vis infertur, ab eo cui inferre conatur, interimi. Iam vero miles in hoste interficiendo minister est legis; quare officium suum facile nulla libidine implevit. **35.** Porro ipsa lex, quae tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest, siquidem ille qui tulit, si dei iussu tulit, id est quod praecipit aeterna iustitia, expers omnino libidinis id agere potuit. Si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut legi cum libidine obtemperare necesse sit, quia bona lex et a non bono ferri potest. **36.** Non enim si quis verbi causa tyrannicam potestatem nanctus ab aliquo, cui hoc conducit, pretium accipiat, ut statuat nulli licere vel ad coniugium feminam rapere, propterea mala lex erit, quia ille iniustus atque corruptus hanc tulit. Potest ergo illi legi, quae tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli iubet, sine libidine obtemperari; et de omnibus ministris, qui iure atque ordine potestatibus quibusque subiecti sunt, id dici potest.

37. Sed illi homines lege inculpata quomodo inculpati queant esse non video; non enim eos lex cogit occidere, sed

---

1 inlatum *M B β F* illatum *cet.* 3 num] nam *X L* 4 mihi lex *B K S edd* 6 esse video *δ* 10 inmanius *B G β* 11 vis illa *l m* 15 data *δ* 16 praecepit *G L S edd* 17 exspers *M* 20 fieri *L S* inveniri *K* tirannicam *L γ* 21 nanctus *M B X* nactus *cet.* 24—13, 13 Potest—invenio *Augustino tribuit δ, deinde partes mutantur usque ad* 13, 21 sint 29 lex eos *edd*

relinquit in potestate. Liberum eis itaque est neminem necare pro his rebus, quas inviti possunt amittere et ob hoc amare non debent. De vita enim fortasse cuipiam sit dubium, utrum animae nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur; sed si auferri potest, contemnenda est, si non potest, nihil metuendum. **38.** De pudicitia vero quis dubitaverit quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? unde a violento stupratore nec ipsa eripi potest. Quidquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in nostra potestate non est. Quare quemadmodum nostrum appellandum sit, non intellego. Quapropter legem quidem non reprehendo, quae tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam qui interficiunt non invenio.

13. **39.** *A.* Multo minus ego invenire possum, cur hominibus defensionem quaeras quos nulla lex tenet.

E. Nulla fortasse, sed earum legum, quae apparent et ab hominibus leguntur; nam nescio, utrum non aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur, si nihil rerum est, quod non administret divina providentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana caede polluti sint? **40.** Videtur ergo mihi et legem istam, quae populo regendo scribitur, recte ista permittere et divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi haec adsumit, quae satis sint conciliandae paci hominibus imperitis et quanta possunt per hominem regi. Illae vero culpae alias poenas aptas habent, a quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia.

41. *A.* Laudo et probo istam, quamvis inchoatam minusque perfectam, tamen fidentem et sublimia quaedam petentem distinctionem tuam. Videtur enim tibi lex ista, quae regendis

---

5 contemnenda *M B TC R* contempnenda *cet.* 8 eripi nec ipsa *edd* quidquid *M FR* quicquid *cet.* 9 potestate nostra *Y edd* 18 secratissima *X* sacratissima *G* 21 sint *M B X FR* sunt *cet.* videtur] *hinc sermonem Euodio tribuunt M B CA β δ a e l* 23 et per *γ l* 24 haec lex populi *edd* adsumit *M B X* assumit *cet.*

civitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen providentiam vindicantur, et recte. Neque enim quia non omnia facit, ideo quae facit improbanda sunt.

42. Sed dispiciamus diligenter, si placet, quo usque per legem istam, quae populos in hac vita cohibet, malefacta ulciscenda sint, deinde quid restet, quod per divinam providentiam inevitabilius secretoque puniatur. VI.

E. Cupio, si modo possit ad tantae rei terminos perveniri; nam hoc ego infinitum puto.

43. *A.* Immo adesto animo et rationis vias pietate fretus ingredere. Nihil est enim tam arduum atque difficile, quod non deo adiuvante planissimum atque expeditissimum fiat. In ipsum itaque suspensi atque ab eo auxilium deprecantes, quod instituimus, quaeramus. Et prius responde mihi, utrum lex quae litteris promulgatur hominibus hanc vitam viventibus opituletur.

44. *E.* Manifestum est; nam ex his hominibus utique populi civitatesque consistunt.

A. Quid? ipsi homines et populi eiusdemne generis rerum sunt, ut interire mutarive non possint aeternique omnino sint, an vero mutabiles temporibusque subiecti sunt?

E. Mutabile plane atque tempori obnoxium hoc genus esse quis dubitet?

45. *A.* Ergo, si populus sit bene moderatus et gravis communisque utilitatis diligentissimus custos, in quo unusquisque minoris rem privatam quam publicam pendat, nonne recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos suae res, id est publica, administretur?

E. Recte prorsus.

---

11 Cf. Lucr. 1, 80—82

---

5 despiciamus *TCA* inspiciamus *δ* si placet diligenter *Yael* 9 modo perveniri possit *edd* 13 in ipso *γ* 28 quia *α*

46. *A.* Porro si paulatim depravatus idem populus rem privatam rei publicae praeferat atque habeat venale suffragium corruptusque ab eis qui honores amant regimen in se flagitiosis consceleratisque committat, nonne item recte, si quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores et in paucorum bonorum vel etiam unius redigat arbitrium?

E. Et id recte.

47. *A.* Cum ergo duae istae leges ita sibi videantur esse contrariae, ut una earum honorum dandorum populo tribuat potestatem, auferat altera, et cum ista secunda ita lata sit, ut nullo modo ambae in una civitate simul esse possint, num dicemus aliquam earum iniustam esse et ferri minime debuisse?

E. Nullo modo.

48. *A.* Appellemus ergo istam legem, si placet, temporalem, quae quamquam iusta sit, commutari tamen per tempora iuste potest.

E. Appellemus.

15. *A.* Quid? illa lex quae summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur, per quam denique illa, quam temporalem vocandam diximus, recte fertur recteque mutatur, potestne cuipiam intellegenti non incommutabilis aeternaque videri? **49.** An potest aliquando iniustum esse, ut mali miseri, boni autem beati sint? aut ut modestus et gravis populus ipse sibi magistratus creet, dissolutus vero et nequam ista licentia careat?

E. Video hanc aeternam esse atque incommutabilem legem.

50. *A.* Simul etiam te videre arbitror in illa temporali nihil esse iustum atque legitimum quod non ex hac aeterna sibi homines derivaverint. Nam si populus ille quodam tempore iuste honores dedit, quodam rursus iuste non dedit, haec vicissitudo temporalis ut esset iusta ex illa aeternitate tracta

6 in *om. X* 10 populo *om. L* 19 ipsa lex *X* 34 iusta esset *edd*

est, qua semper iustum est gravem populum honores dare, levem non dare. An tibi aliter videtur?

E. Adsentior.

51. *A.* Ut igitur breviter aeternae legis notionem, quae inpressa nobis est, quantum valeo, verbis explicem, ea est, qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima. Tu si aliter existimas, prome.

E. Quid tibi vera dicenti contradicam non habeo.

A. Cum ergo haec sit una lex, ex qua illae omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideo ipsa variari ullo modo potest?

E. Intellego omnino non posse; neque enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes umquam effecerit, ut iustum non sit omnia esse ordinatissima.

52. *A.* Age nunc, videamus homo ipse quomodo in VII se ipso sit ordinatissimus. Nam ex hominibus una lege sociatis populus constat, quae lex, ut dictum est, temporalis est. Et dic mihi utrum certissimum tibi sit vivere te.

E. Hoc vero quid certius responderim?

A. Quid? illud potesne dinoscere, aliud esse vivere, aliud nosse se vivere?

E. Scio quidem neminem se nosse vivere nisi viventem, sed utrum omnis vivens noverit se vivere ignoro.

53. *A.* Quam vellem, ut credis, ita etiam scires pecora carere ratione; cito nostra disputatio ab ista quaestione transiret. Sed quoniam nescire te dicis, longam sermocinationem moves. Neque enim talis res est, qua praetermissa pergere in ea, quae intendimus, tanta conexione rationis, quanta opus esse sentio, sinamur. **54.** Dic itaque mihi, cum saepe viderimus bestias ab hominibus domitas — id est, non corpus bestiae tantum, sed et animam ita homini subiugatam, ut

---

2 aliter *om.* γ 3 adsentior *M B X* assentior *cet.* 5 inpressa *M B X* imp- *cet.* 18 sit tibi *l m* 23 sed] et *X L* 25 questione *B G L K* δ 28 connexione α *V* 29 sinimur *M B X K* γ

voluntati eius sensu quodam et consuetudine serviat —, utrum tibi ullo modo fieri posse videatur, ut bestia quaelibet inmanis vel feritate vel corpore vel etiam sensu quolibet acerrima pari vice sibi hominem subiugare conetur, cum corpus eius seu vi seu clam multae interimere valeant.

E. Nullo modo istuc fieri posse consentio.

55. *A.* Bene sane. Sed item dic mihi, cum manifestum sit viribus ceterisque officiis corporis a plurimis bestiis hominem facile superari, quaenam res sit, qua homo excellit, ut ei nulla bestiarum, ipse autem multis imperare possit? an forte ipsa est, quae ratio vel intellegentia dici solet?

56. *E.* Non invenio aliud, quandoquidem in animo est id quod beluis antecellimus; quae si exanimes essent, dicerem nos eo praestare, quod animum habemus. Nunc vero cum et illa sint animalia, id quod eorum animis non inest ut subdantur nobis, inest autem nostris ut eis meliores simus, quoniam neque nihil neque parvum aliquid esse cuivis apparet, quid aliud rectius quam rationem vocaverim?

57. *A.* Vide, quam facile fiat deo adiuvante, quod homines difficillimum putant. Nam ego, fateor tibi, quaestionem istam, quae, ut intellego, terminata est, tam diu nos retenturam putaveram, quam fortasse omnia, quae dicta sunt ab ipso nostrae disputationis exordio. Quare accipe iam, ut deinde ratio conectatur; nam credo te non ignorare, id quod scire dicimus nihil esse aliud quam ratione habere perceptum.

58. *E.* Ita est.

A. Qui ergo scit se vivere, ratione non caret.

E. Consequens est.

A. Vivunt autem bestiae, et sicut iam eminuit, rationis expertes sunt.

E. Manifestum est.

---

1 voluntatibus *X* 6 istud *B G L K δ* 9 praecellit *L* 10 nulla ei *edd* 13 quod] quo *V e l m* 14 animam *F m2 R V* 18 quid aliquid *R V* 24 non te *l m* 29 emicuit *α δ edd*

A. Ecce igitur iam nosti, quod te ignorare responderas, non omne quod vivit scire se vivere, quamquam omne quod se vivere sciat vivat necessario.

59. *E.* Non mihi est iam dubium. Perge quo intenderas; 17.
aliud enim esse vivere, aliud scire se vivere satis didici.

A. Quid ergo tibi horum duorum videtur esse praestantius?

E. Quid putas nisi scientiam vitae?

A. Meliorne tibi videtur vitae scientia quam ipsa vita? an forte intellegis superiorem quandam et sinceriorem vitam esse scientiam, quoniam scire nemo potest nisi qui intellegit? Intellegere autem quid est nisi ipsa luce mentis inlustrius perfectiusque vivere? Quare tu mihi, nisi fallor, non vitae aliud aliquid, sed cuidam vitae meliorem vitam praeposuisti.

60. *E.* Optime omnino et cognovisti et explicasti sententiam meam, si tamen scientia mala esse numquam potest.

A. Nullo modo arbitror, nisi cum translato verbo scientiam pro experientia dicimus. Experiri enim non semper bonum est, sicut experiri supplicia. Illa vero quae proprie ac pure scientia nominatur, quia ratione atque intellegentia paratur, mala esse qui potest?

E. Teneo et istam differentiam, persequere cetera.

61. *A.* Illud est quod volo dicere: hoc quicquid est, quo VII
pecoribus homo praeponitur, sive mens sive spiritus sive utrumque rectius appellatur — nam utrumque in divinis libris invenimus —, si dominetur atque imperet ceteris, quibuscumque homo constat, tunc esse hominem ordinatissimum. Videmus enim habere nos non solum cum pecoribus, sed etiam cum arbustis et stirpibus multa communia. Namque alimentum corporis sumere, crescere, gignere, vigere arboribus quoque tributum videmus, quae infima quadam vita continentur; videre autem atque audire et olfactu, gustatu, tactu corporalia sentire

---

6 igitur *RV* 11 quoniam] quam *edd* 12 inlustrius *M XL F* illustrius *cet.* 13 nisi] ni *M B β γ δ* 15—16 scientiam *TCA* 29 styrpibus *M TCA* 30 quoque] quibusque *G* 32 gustu *G V Y edd*

posse bestias et acrius plerumque quam nos cernimus et fatemur. **62.** Adde vires et valentiam firmitatemque membrorum et celeritates facillimosque corporis motus, quibus omnibus quasdam eorum superamus, quibusdam aequamur, a nonnullis etiam vincimur. Genus tamen ipsum rerum est nobis certe commune cum beluis; iam vero adpetere voluptates corporis et vitare molestias ferinae vitae omnis actio est.

63. Sunt alia quaedam, quae iam cadere in feras non videntur nec tamen in homine ipso summa sunt, ut iocari et ridere; quod humanum quidem, sed infimum hominis iudicat, quisquis de natura humana rectissime iudicat. Deinde amor laudis et gloriae et adfectatio dominandi, quae tametsi bestiarum non sunt, non tamen earum rerum libidine bestiis meliores nos esse arbitrandum est. **64.** Nam et iste adpetitus, cum rationi subditus non est, miseros facit. Nemo autem cuiquam miseria se praeponendum putavit. Hisce igitur animae motibus cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Non enim ordo rectus aut ordo appellandus omnino est, ubi deterioribus meliora subiciuntur. An tibi non videtur?

65. *E.* Manifestum est.

A. Ratio ista ergo vel mens vel spiritus cum inrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam aeternam esse comperimus.

E. Intellego ac sequor.

19. **66.** *A.* Cum ergo ita homo constitutus atque ordinatus est, nonne tibi sapiens videtur?

E. Nescio alius quis mihi sapiens homo videri possit, si hic non videtur.

---

6 adpetere *M B X F* appetere *cet.* 13 adfectatio *M F* affectatio *TCA RV δ* adfectio *B X* affectio *G LK* tametsi *G Lm* tamen si *cet.* 17 putabit *α Y* 18 motibus animae *edd* 20 est omnino *Y edd* 23 inrationales *M B X F* irrationales *α LK RV* irrationabiles *δ* 27 homo i ta *γ*

A. Credo etiam te illud scire, plerosque homines stultos esse.

E. Hoc quoque satis constat.

67. *A.* At si stultus sapienti est contrarius, quoniam sapientem comperimus, quis etiam stultus sit, profecto iam intellegis.

E. Cui non appareat hunc esse, in quo mens summam potestatem non habet?

A. Quid igitur dicendum, cum homo ita est adfectus? deesse illi mentem, an quamvis insit, eam carere dominatu?

E. Hoc potius quod ultimum subiecisti.

A. Pervellem abs te audire quibus documentis perceptum habeas mentem inesse homini, quae suum non exerat principatum.

E. Utinam tuas istas partes facere velles, nam non mihi facile est sustinere quod ingeris.

68. *A.* Illud saltim facile est tibi recordari, quod paulo ante diximus, quemadmodum bestiae mansuefactae ab hominibus ac domitae serviant; quod ab eis vicissim homines, ut demonstravit ratio, paterentur, nisi aliquo excellerent. Id autem non inveniebamus in corpore; ita cum in animo esse appareret, quid aliud appellandum esset quam ratio non comperimus; quam postea et mentem et spiritum vocari recordati sumus. Sed si aliud ratio, aliud mens, constat certe nonnisi mentem uti posse ratione. Ex quo illud conficitur, eum qui rationem habet mente carere non posse.

69. *E.* Probe ista reminiscor ac teneo.

A. Quid? illud credisne, domitores beluarum nisi sapientes esse non posse? Eos enim sapientes voco, quos

---

8 habeat β 9 adfectus *M B* defectus *X* affectus *cet.* 12—26 *siglis ante* pervellem *et* illud *omissis, verba* hoc potius — principatum *Euodio, verba* utinam — non posse *Augustino tribuunt M B C* $\beta\gamma$ 13 exserat *V m* 17 saltem α *K* γ *S* 18 mansuetae factae *B TCA Y* 24 aliud mens aliud ratio *LK* 25 uti *om.* α mentis esse rationem *G a mg*

veritas vocari iubet, id est, qui regno mentis omni libidinis subiugatione pacati sunt.

E. Ridiculum est tales putare istos, quos vulgo mansuetarios nuncupant vel etiam pastores aut bubulcos aut aurigas, quibus omnibus domitum pecus subiectum videmus et quorum industria indomitum subici.

70. *A.* En igitur habes documentum certissimum, quo manifestum fiat inesse mentem homini sine dominatu. His quippe inest; agunt enim talia quae agi sine mente non possent; non tamen regnat; nam stulti sunt neque regnum mentis nisi sapientium esse percognitum est.

E. Mirum est hoc iam fuisse a nobis in superioribus confectum et mihi quid responderem non potuisse in mentem venire.

20. Sed alia contexamus. Iam enim et regnum mentis humanae humanam esse sapientiam et eam posse etiam non regnare compertum est.

71. *A.* Putasne ista mente, cui regnum in libidines aeterna lege concessum esse cognoscimus, potentiorem esse libidinem? Ego enim nullo pacto puto. Neque enim esset ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperarent. Quare necesse arbitror esse, ut plus possit mens quam cupiditas, eo ipso quo cupiditati recte iusteque dominatur.

E. Ego quoque ita sentio.

72. *A.* Quid? virtutem omnem num dubitabimus omni vitio sic anteponere, ut virtus, quanto melior atque sublimior, tanto firmior invictiorque sit?

E. Quis dubitaverit?

A. Nullus igitur vitiosus animus virtute armatum animum superat.

E. Verissimum est.

A. Iam corpore omni qualemlibet animum meliorem potentioremque esse non te arbitror negaturum.

---

23 quod *Y* 25 num] non *CAG Y* dubitamus *G X γ δ*

E. Nemo id negat qui — quod facile est — videt aut substantiam viventem non viventi aut eam quae vitam dat ei quae accipit esse praeferendam.

73. *A.* Multo minus igitur corpus, qualecumque id sit, animum virtute praeditum vincit.

E. Evidentissimum est.

A. Quid? animus iustus mensque ius proprium imperiumque custodiens num potest aliam mentem pari aequitate ac virtute regnantem ex arce deicere atque libidini subiugare?

E. Nullo modo, non solum propter eandem in utraque excellentiam, sed etiam quod a iustitia prior decidet fietque vitiosa mens, quae aliam facere conabitur, eoque ipso erit infirmior.

74. *A.* Bene intellegis. Quare illud restat ut respondeas, si potest, utrum tibi videatur rationali et sapienti mente quicquam esse praestantius. 21.

E. Nihil praeter deum arbitror.

A. Et mea ista sententia est. Sed quoniam res ardua est neque nunc oportune quaeritur, ut ad intellegentiam veniat, quamquam robustissima teneatur fide, integra nobis sit huius quaestionis diligens et cauta tractatio.

75. In praesentia enim scire possumus, quaecumque illa natura sit, quam menti virtute pollenti fas est excellere, iniustam esse nullo modo posse. Quare ne ista quidem, tametsi habeat potestatem, coget mentem servire libidini. XI.

E. Istuc prorsus nemo est qui non sine ulla cunctatione fateatur.

76. *A.* Ergo relinquitur ut, quoniam regnanti menti conpotique virtutis quidquid par aut praelatum est non eam

---

3 ei qui *M B TCA X* 12 sed etiam *om. M* etiam *om. γ* 16 potest *(impers., cf. p. 45, 12. 46, 13. 51, 6 et Löfstedt, Peregr. Aeth. 44) M B* potes *cet.* 20 opportune *edd* 26 cogit *XL* 28 istud *C edd* 30 menti *om. RV* 31 conpotique *M* com- *cet.* quidquid *M X* quicquid *cet.*

facit servam libidinis propter iustitiam, quidquid autem inferius non possit hoc facere propter infirmitatem, sicut ea quae inter nos constiterunt docent, nulla res alia mentem cupiditatis comitem faciat quam propria voluntas et liberum arbitrium.

E. Nihil tam necessarium restare video.

22. **77.** *A.* Sequitur iam ut tibi videatur iuste illam pro peccato tanto poenas pendere.

E. Negare non possum.

A. Quid ergo? Num ista ipsa poena parva existimanda est, quod ei libido dominatur expoliatamque virtutis opulentia per diversa inopem atque indigentem trahit, nunc falsa pro veris adprobantem, nunc etiam defensitantem, nunc improbantem quae antea probavisset et nihilominus in alia falsa inruentem, nunc adsensionem suspendentem suam et plerumque perspicuas ratiocinationes formidantem, nunc desperantem de tota inventione veritatis et stultitiae tenebris penitus inherentem, nunc conantem in lucem intellegendi rursusque fatigatione decidentem, **78.** cum interea cupiditatum illud regnum tyrannice saeviat et variis contrariisque tempestatibus totum hominis animum vitamque perturbet, hinc timore inde desiderio, hinc anxietate inde inani falsaque laetitia, hinc cruciatu rei amissae quae diligebatur inde ardore adipiscendae quae non habebatur, hinc acceptae iniuriae doloribus inde facibus vindicandae; quaquaversum potest coartare avaritia, dissipare luxuria, addicere ambitio, inflare superbia, torquere invidia, desidia sepelire, pervicacia concitare, adflictare subiectio et quaecumque alia innumerabilia regnum illius libidinis frequentant et exercent? Possumusne tandem nullam istam poenam putare quam, ut cernis, omnes qui non inherent sapientiae necesse est perpeti?

---

2 propter *om.* *X* 4 facit *δ* 10 igitur *Y edd* 11 exspoliatamque *m* 15 suam suspendentem *δ* 18 paenitus *M K FR* poenitus *X* inhaerentem *LK* 24 habetur *γ* 27 pervicatia *M B CA X γ* 31 inhaerent *C LK F* herent *X*

79. *E.* Magnam quidem istam poenam esse iudico et 23.
omnino iustam, si quis iam in sublimitate sapientiae conlocatus inde descendere ac libidini servire delegerit. Sed utrum esse quisquam possit incertum est qui haec aut voluerit facere aut velit. Quamquam enim credamus hominem tam perfecte conditum a deo et in beata vita constitutum, ut ad aerumnas mortalis vitae ipse inde propria voluntate delapsus sit, tamen hoc cum firmissima fide teneam, intellegentia nondum adsecutus sum; cuius rei diligentem inquisitionem si nunc differendam putas, me invito facis.

80. Verum illud quod me maxime movet, cur huius- XII.
cemodi acerbissimas poenas patiamur nos, qui certe stulti sumus nec sapientes umquam fuimus, ut merito haec dicamur perpeti propter desertam virtutis arcem et electam sub libidine servitutem, quin aperias disputando, si vales, nullo modo tibi differendum esse concesserim.

81. *A.* Ita istuc dicis, quasi liquido compertum habeas numquam nos fuisse sapientes; attendis enim tempus ex quo in hanc vitam nati sumus. Sed cum sapientia in animo sit, utrum ante consortium huius corporis alia quadam vita vixerit animus et an aliquando sapienter vixerit, magna quaestio est, magnum secretum et suo considerandum loco; neque ideo tamen hoc quod nunc habemus in manibus impeditur quominus aperiatur ut potest.

82. Nam quaero abs te, sitne aliqua nobis voluntas. 25.

E. Nescio.

A. Visne hoc scire?

E. Et hoc nescio.

A. Nihil ergo deinceps me interroges.

E. Quare?

A. Quia roganti tibi respondere non debeo nisi volenti

---

1 iudico esse *Y* 2 conlocatus *M X F* collocatus *cet.* 7 erumnas *TCG LK S* erumpnas *A RV Y* 8 teneam fide *Y* 12 nos *om. Y* 17 habeat *B* 19 in hac vita *γ* 21 animus—vixerit *om. γ*

scire quod rogas. Deinde nisi velis ad sapientiam pervenire, sermo tecum de huiuscemodi rebus non est habendus. Postremo amicus meus esse non poteris nisi velis ut bene sit mihi. Iam vero de te tu ipse videris, utrum tibi voluntas nulla sit beatae vitae tuae.

83. *E.* Fateor, negari non potest habere nos voluntatem. Perge iam, videamus quid hinc conficias.

A. Faciam, sed dic etiam prius, utrum et bonam voluntatem habere te sentias.

E. Quid est bona voluntas?

A. Voluntas, qua adpetimus recte honesteque vivere et ad summam sapientiam pervenire. Modo tu vide, utrum rectam honestamque vitam non adpetas aut esse sapiens non vehementer velis aut certe negare audeas, cum haec volumus, nos habere voluntatem bonam.

84. *E.* Nihil horum nego et propterea me non solum voluntatem, sed etiam bonam voluntatem iam habere confiteor.

A. Quanti pendis, oro te, hanc voluntatem? Numquidnam ei ulla ex parte divitias aut honores aut voluptates corporis aut haec simul omnia conferenda arbitraris?

E. Averterit deus istam sceleratam dementiam.

85. *A.* Parumne ergo gaudendum est habere nos quiddam in animo, hanc ipsam dico bonam voluntatem, in cuius conparatione abiectissima sint ea quae commemoravimus, pro quibus adipiscendis multitudinem videmus hominum nullos labores, nulla pericula recusare?

E. Gaudendum vero ac plurimum.

A. Quid? hoc gaudio qui non fruuntur, parvo damno eos adfectos putas tanti boni?

E. Immo maximo.

---

3 meus amicus *Y edd* 9 te habere *Y edd* 13 non appetas vitam *edd* 23 conparatione *M F* comp- *cet.* 29 adfectos *M B X* aff- *cet.*

86. *A.* Vides igitur iam, ut existimo, in voluntate nostra 26.
esse constitutum, ut hoc vel fruamur vel careamus tanto et tam vero bono. Quid enim tam in voluntate quam ipsa voluntas sita est? Quam quisque cum habet bonam, id certe habet, quod terrenis omnibus regnis voluptatibusque omnibus corporis longe anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret profecto illa re, quam praestantiorem omnibus bonis in potestate nostra non constitutis sola illi voluntas per se ipsam daret. **87.** Itaque cum se ipse miserrimum iudicet, si amiserit gloriosam famam, ingentes opes et quaelibet corporis bona, tu eum non miserrimum iudicabis, etiamsi talibus abundet omnibus, cum his inheret quae amittere facillime potest neque dum vult habet, caret autem bona voluntate, quae nec comparanda est cum istis et cum sit tam magnum bonum, velle solum opus est, ut habeatur?

88. *E.* Verissimum est.

A. Iure igitur ac merito stulti homines, tametsi numquam sapientes fuerunt — hoc enim dubium et occultissimum est —, huiuscemodi adficiuntur miseria.

E. Adsentior.

89. *A.* Considera nunc utrum tibi videatur esse pru- XIII.
dentia adpetendarum et vitandarum rerum scientia.

E. Videtur.

A. Quid? fortitudo nonne illa est animae adfectio, qua omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus?

E. Ita existimo.

A. Porro temperantia est adfectio coercens et cohibens adpetitum ab his rebus quae turpiter adpetuntur. An tu aliter putas?

1—4 cf. Retract. 1, 8, 3

---

8 sola illa *M* 9 ipse *om. F m l* se *om. F m 2* 10 iudicet] videt *T* 12 habundet *B β F V* omnibus] bonis *Y* 18 fuerunt sapientes *edd* 22 scientia rerum *X* 27 estimo *δ* 28 coercens *B edd* cohercens *G β γ δ* coherens *M TCA*

E. Immo ita ut dicis sentio.

90. *A.* Iam iustitiam quid dicamus esse nisi virtutem, qua sua cuique tribuuntur?

E. Nulla mihi alia iustitiae notio est.

A. Quisquis ergo habens bonam voluntatem, de cuius excellentia iam diu loquimur, hanc unam dilectione amplexetur qua interim melius nihil habet, hac sese oblectet, hac denique perfruatur et gaudeat, considerans eam et iudicans, quanta sit quamque invito illi eripi vel subripi nequeat, num dubitare poterimus istum adversari rebus omnibus quae huic uni bono inimicae sunt?

E. Necesse est omnino ut adversetur.

91. *A.* Nullane hunc putamus praeditum esse prudentia, qui hoc bonum adpetendum et vitanda ea quae huic inimica videt?

E. Nullo modo mihi videtur hoc posse quisquam sine prudentia.

A. Recte; sed cur non huic etiam fortitudinem tribuimus? Illa quippe omnia, quae in nostra potestate non sunt, amare iste ac plurimi aestimare non potest. Mala enim voluntate amantur, cui tamquam inimicae carissimo suo bono resistat necesse est. Cum autem non amat haec, non dolet amissa et omnino contemnit; quod opus esse fortitudinis dictum atque concessum est.

92. *E.* Tribuamus sane; non enim intellego, quem fortem verius appellare possim quam eum, qui rebus his, quas neque ut adipiscamur neque ut optineamus in nobis situm est, aequo et tranquillo animo caret; quod hunc necessario facere compertum est.

A. Vide iam nunc utrum ab eo temperantiam alienare possimus, cum ea sit virtus quae libidines cohibet. Quid autem tam iniquum bonae voluntati est quam libido? Ex quo

---

5 bonam habens *Y edd* 9 quanque *δ* vel *om. X* num] nam *B* non *CG* 17 tribuamus *G m* 18 potestate nostra *edd* 20 tanquam *α R V δ* 26 adipiscantur *T C A* obtineamus *α X δ* 31 inimicum *G L edd*

profecto intellegis istum bonae suae voluntatis amatorem resistere omni modo atque adversari libidinibus et ideo iure temperantem vocari.

E. Perge, adsentior.

93. *A.* Iustitia restat, quae quomodo desit huic homini non sane video. Qui enim habet et diligit voluntatem bonam et obsistit eis, ut dictum est, quae huic inimica sunt, male cuiquam velle non potest. Sequetur ergo ut nemini faciat iniuriam, quod nullo pacto potest nisi qui sua cuique tribuerit. Hoc autem ad iustitiam pertinere cum dicerem, adprobasse te, ut puto, meministi.

E. Ego vero memini et fateor in hoc homine, qui suam bonam voluntatem magni pendit et diligit, omnes quattuor virtutes quae abs te paulo ante me adsentiente descriptae sunt esse compertas.

94. *A.* Quid igitur impedit cur huius vitam non con- 28.
cedamus esse laudabilem?

E. Nihil prorsus, immo hortantur vel etiam cogunt omnia.

A. Quid? vitam miseram potesne ullo modo non iudicare fugiendam?

E. Et magnopere quidem iudico nihilque aliud agendum existimo.

A. At laudabilem fugiendam profecto non putas.

E. Quin etiam adpetendam sedulo existimo.

A. Non ergo misera est quae laudabilis vita est.

E. Hoc utique sequitur.

A. Nihil iam, quantum opinor, difficile tibi ut adsentiaris relinquitur, eam scilicet quae misera non est beatam esse vitam.

E. Manifestissimum est.

95. *A.* Placet igitur beatum esse hominem dilectorem bonae voluntatis suae et prae illa contemnentem quodcumque

---

1 voluntatis suae *δ edd* 8 velle cuiquam *B β* sequitur *α edd* 10 te adprobasse *B β* 11 te *om. M* 12 suam *om. γ* 13 quatuor *β C S* 16 inpedit *X* 23 sq. at—existimo *om. M γ* non fugiendam profecto *edd* 28 vitam esse *A L*

aliud bonum dicitur, cuius amissio potest accidere, etiam cum voluntas tenendi manet.

E. Quidni placeat, quo superiora quae concessimus necessario trahunt?

A. Bene intellegis. Sed dic, quaeso, nonne bonam suam voluntatem diligere et tam magni aestimare, quam dictum est, etiam ipsa bona voluntas est?

E. Verum dicis.

A. Ac si hunc beatum recte iudicamus, nonne recte miserum qui contrariae voluntatis est?

E. Rectissime.

96. *A.* Quid ergo causae est cur dubitandum putemus, etiamsi numquam antea sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem et beatam vitam, voluntate turpem ac miseram mereri ac degere?

E. Fateor huc certis et minime negandis rebus esse perventum.

29. **97.** *A.* Vide etiam aliud, nam credo te memoria tenere quam dixerimus esse bonam voluntatem; opinor enim, ea dicta est qua recte atque honeste vivere adpetimus.

E. Ita memini.

A. Hanc igitur voluntatem si bona itidem voluntate diligamus atque amplectamur rebusque omnibus, quas retinere non quia volumus possumus, anteponamus, consequenter illae virtutes, ut ratio docuit, animum nostrum incolent, quas habere id ipsum est recte honesteque vivere. Ex quo conficitur ut, quisquis recte honesteque vult vivere, si id se velle prae fugacibus bonis velit, adsequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod voluit.

12—15 cf. Retract. 1, 8, 3 18—30 cf. Retract. 1, 8, 3

---

4 trahunt *om. TCA* thrahunt *X* 5 nonne *om. X* voluntatem suam *edd* 6 existimare *δ* 9 at si *γ e l m* 14 voluntatem *M* 22 ergo *δ C*

98. *E.* Vere tibi dico, vix me contineo quin exclamem laetitiā, repente mihi oborto tam magno et tam in facili constituto bono.

A. Atqui hoc ipsum gaudium quod huius boni adeptione gignitur, cum tranquille et quiete atque constanter erigit animum, beata vita dicitur; nisi tu putas aliud esse beate vivere quam veris bonis certisque gaudere.

E. Ita sentio.

99. *A.* Recte. Sed censesne quemquam hominum non XIV omnibus modis velle atque optare vitam beatam?

E. Quis dubitat omnem hominem velle?

A. Cur igitur eam non adipiscuntur omnes? Dixeramus enim atque convenerat inter nos voluntate illam mereri homines, voluntate etiam miseram, et sic mereri ut accipiant. Nunc vero existit nescio qua repugnantia, et nisi diligenter dispiciamus, perturbare nititur superiorem tam evigilatam firmamque rationem. **100.** Quomodo enim voluntate quisque miseram vitam patitur, cum omnino nemo velit misere vivere? Aut quomodo voluntate beatam vitam consequitur homo, cum tam multi miseri sint et beati esse omnes velint? An eo evenit, quod aliud est velle bene aut male, aliud mereri aliquid per bonam vel malam voluntatem? Nam illi qui beati sunt, quos etiam bonos esse oportet, non propterea sunt beati quia beate vivere voluerunt — nam hoc volunt etiam mali —, sed quia recte, quod mali nolunt. **101.** Quam ob rem nihil mirum est, quod miseri homines non adipiscuntur quod volunt, id est, beatam vitam. Illud enim, cui comes est et sine quo ea nemo dignus est nemoque adsequitur, recte scilicet vivere, non itidem volunt. Hoc enim aeterna lex illa, ad cuius considerationem redire iam tempus est, incommuta-

29—31, 2 cf. Retract. 1, 8, 3

9 quemquam *M B XL* quenquam *cet.* 15 quae *L γ δ l m* 16 despiciamus *CG X δ* vigilatam *M TCA* 20 omnes esse *δ edd* 22 vel] aut *δ* sive per *X* 25 recte vivere *Y* recte vivere volunt *S a e l* 28 nemo assequitur *γ*

bili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit, in beatitate autem et miseria praemium atque supplicium. **102.** Itaque cum dicimus voluntate homines miseros esse, non ideo dicimus quod esse miseri velint, sed quod in ea voluntate sunt, quam etiam his invitis miseria sequatur necesse est. Quare non repugnat superiori rationi, quod volunt omnes beati esse nec possunt; non enim omnes volunt recte vivere, cui uni voluntati vita beata debetur. Nisi quid habes adversus haec dicere.

E. Ego vero nihil.

. 31. **103.** Sed videamus iam quomodo haec ad propositam illam quaestionem de duabus legibus referantur.

A. Fiat. Sed dic mihi prius, utrum qui recte vivere diligit eoque ita delectatur, ut non solum ei rectum sit, sed etiam dulce atque iucundum, amet hanc legem habeatque carissimam, qua videt tributam esse bonae voluntati beatam vitam, malae miseram?

E. Amat omnino ac vehementer; nam istam ipsam sequens ita vivit.

104. *A.* Quid? cum hanc amat, mutabile aliquid amat ac temporale an stabile ac sempiternum?

E. Aeternum sane atque incommutabile.

A. Quid illi qui in mala voluntate perseverantes nihilominus beati esse cupiunt? possuntne amare istam legem, qua talibus hominibus miseria merito rependitur?

E. Nullo modo, arbitror.

A. Nihilne amant aliud?

E. Immo plurima, ea scilicet in quibus adipiscendis vel retinendis mala voluntas illa persistit.

105. *A.* Opinor te dicere divitias, honores, voluptates et pulchritudinem corporis ceteraque omnia, quae possunt et volentes non adipisci et amittere inviti.

---

3 esse miseros *B edd* 4 miseri esse *δ edd* 5 iis *R* eis *V l m* 7 volunt omnes *δ edd* 15 iucundum *M X* iocundum *cet.* karissimam *B* 16 bonae voluntati tributam esse *G* 27 aliud] illi *δ*

E. Ista ipsa sunt.

A. Num haec aeterna esse censes, cum temporis volubilitati videas obnoxia?

E. Quis hoc vel dementissimus senserit?

106. *A.* Cum igitur manifestum sit alios esse homines amatores rerum aeternarum, alios temporalium, cumque duas leges esse convenerit, unam aeternam, aliam temporalem, si quid aequitatis sapis, quos istorum iudicas aeternae legi, quos temporali esse subdendos?

E. Puto in promptu esse quod quaeris, nam beatos illos ob amorem ipsorum aeternorum sub aeterna lege agere existimo, miseris vero temporalis inponitur.

107. *A.* Recte iudicas, dummodo illud inconcussum teneas quod apertissime iam ratio demonstravit, eos, qui temporali legi serviunt, non esse posse ab aeterna liberos, unde omnia quae iusta sunt iusteque variantur exprimi diximus; eos vero, qui legi aeternae per bonam voluntatem herent, temporalis legis non indigere, satis, ut apparet, intellegis.

E. Teneo quod dicis.

108. *A.* Iubet igitur aeterna lex avertere amorem a temporalibus et eum mundatum ad aeterna convertere. 32.

E. Iubet vero.

A. Quid deinde censes temporalem iubere, nisi ut haec, quae ad tempus nostra dici possunt, quando eis homines cupiditate inherent, eo iure possideant quo pax et societas humana servetur, quanta in his rebus servari potest? **109.** Ea sunt autem primo hoc corpus et eius quae vocantur bona, ut integra valitudo, acumen sensuum, vires, pulchritudo et si qua sunt cetera, partim necessaria bonis artibus et ideo pluris pensanda, partim viliora; deinde libertas; quae quidem

---

2 num] non *CA* censes esse *B* esse *om. L* 7 alteram *C* 9 esse *om. Y* 12 inponitur *M F* imp- *cet.* 18 haerent *C K R edd* inherent *X* inhaerent *L* 22 convertere ad aeterna *edd* 29 valetudo *edd* pulcritudo *M A*

nulla vera est nisi beatorum et legi aeternae adherentium, sed eam nunc libertatem commemoro qua se liberos putant qui dominos homines non habent et quam desiderant hi qui a dominis hominibus manumitti volunt; **110.** deinde parentes, fratres, coniunx, liberi, propinqui, adfines, familiares et quicumque nobis aliqua necessitudine adiuncti sunt; ipsa denique civitas, quae parentis loco haberi solet, honores etiam et laus et ea quae dicitur gloria popularis; ad extremum pecunia, quo uno nomine continentur omnia quorum iure domini sumus et quorum vendendorum aut donandorum habere potestatem videmur. **111.** Horum omnium quemadmodum lex illa sua cuique distribuat, difficile et longum est explicare et plane ad id quod proposuimus non necessarium. Satis est enim videre non ultra porrigi huius legis potestatem in vindicando, quam ut haec vel aliquid horum adimat atque auferat ei quem punit. Metu coercet ergo et ad id quod vult torquet ac retorquet animos quibus regendis accomodata est. Dum enim haec amittere timent, tenent in his utendis quendam modum aptum vinculo civitatis, qualis ex huiuscemodi hominibus constitui potest. **112.** Non autem ulciscitur peccatum cum amantur ista, sed cum aliis per improbitatem auferuntur. Quam ob rem vide utrum iam perventum sit ad id quod infinitum putabas. Institueramus enim quaerere quatenus habeat ius ulciscendi ea lex qua populi terreni civitatesque gubernantur.

E. Video perventum.

33. *A.* Vides ergo etiam illud, quod poena non esset, sive quae per iniuriam sive quae per talem vindictam infertur hominibus, si eas res quae invito auferri possunt non amarent.

E. Id quoque video.

---

1 aeternae vitae *L* 2 libertatem nunc *δ* 3 hii *C V* ii *l m* 5 coniux *T C A X R δ* 8 laudes *γ l m* 12 illa lex *β Y* 16 coercet *T C A F* cohercet *cet.*

113. *A.* Cum igitur eisdem rebus alius male alius bene utatur, et is quidem qui male, amore his inhereat atque implicetur — scilicet subditus eis rebus quas ei subditas esse oportebat, et ea bona sibi constituens quibus ordinandis beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum —, ille autem qui recte his utitur, ostendat quidem bona esse, sed non sibi — non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potius fiunt —, et ideo non eis amore adglutinetur neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cum resecari coeperint, eum cruciatu ac tabe foedent, sed eis totus superferatur, et habere illa atque regere, cum opus est, paratus et amittere ac non habere paratior — cum ergo haec ita sint, num aut argentum et aurum propter avaros accusandum putas aut cibos propter voraces aut vinum propter ebriosos aut muliebres formas propter scortatores et adulteros atque hoc modo cetera, cum praesertim videas et igne bene uti medicum et pane scelerate veneficum?

E. Verissimum est non res ipsas, sed homines qui eis male utuntur esse culpandos.

114. *A.* Recte. Sed quoniam et quid valeat aeterna lex, ut XVI opinor, videre iam coepimus, et quantum lex temporalis in vindicando progredi possit inventum est, et rerum duo genera, aeternalium et temporalium, duoque rursus hominum, aliorum aeternas aliorum temporales sequentium et diligentium, satis aperteque distincta sunt, quid autem quisque sectandum et amplectendum eligat in voluntate esse positum constitit nullaque re de arce dominandi rectoque ordine mentem deponi nisi voluntate, et est manifestum non rem ullam, cum ea quisque male utitur, sed ipsum male utentem esse arguendum — referamus nos, si placet, ad questionem in exordio sermonis huius propositam et vide-

25—27 cf. Retract. 1, 8, 3

1 isdem *XL* 2 in his *G* 8 adglutinetur *M XK F δ* agg- *cet.* 13 et] aut *γ* 15 ebrios *TCA* 28 esse *δ* 31 huius sermonis *δ edd* praepositam *M*

amus utrum soluta sit. **115.** Nam quaerere instituerámus quid sit male facere, et propter hoc omnia quae dicta sunt diximus. Quocirca licet nunc animadvertere et considerare utrum sit aliud male facere quam neglectis rebus aeternis, quibus per se ipsam mens fruitur et per se ipsam percipit et quae amans amittere non potest, temporalia et quaeque per corpus, partem hominis vilissimam, sentiuntur et numquam esse certa possunt quasi magna et miranda sectari. Nam hoc uno genere omnia malefacta, id est peccata, mihi videntur includi. Tibi autem quid videatur exspecto cognoscere.

35. **116.** *E.* Est ita ut dicis, et adsentior peccata omnia hoc uno genere contineri, cum quisque avertitur a divinis vereque manentibus et ad mutabilia atque incerta convertitur. Quae quamquam in ordine suo recte locata sint et suam quandam pulchritudinem peragant, perversi tamen animi est et inordinati eis sequendis subici quibus ad nutum suum ducendis potius divino ordine ac iure praelatus est. **117.** Et illud simul mihi videre iam videor absolutum atque compertum, quod post illam quaestionem, quid sit male facere, deinceps quaerere instituéramus, unde male facimus. Nisi enim fallor, ut ratio tractata monstravit, id facimus ex libero voluntatis arbitrio. Sed quaero utrum ipsum liberum arbitrium, quo peccandi facultatem habere convincimur, oportuerit nobis dari ab eo qui nos fecit. Videmur enim non fuisse peccaturi si isto careremus, et metuendum est, ne hoc modo deus etiam malefactorum nostrorum auctor existimetur.

118. *A.* Nullo modo istuc timueris, sed ut diligentius requiratur, aliud tempus sumendum est. Nam haec iam sermocinatio modum terminumque desiderat, qua velim credas magnarum abditarumque rerum inquirendarum quasi fores

---

3 nunc *om. G* 5 quas *L e l m* 6 quaeque (*i. quaecumque*) *M β γ* quae *cet.* hominis partem *edd* 10 exspecto *M F* exp- *cet.* 11 omnia peccata *δ X edd* 13 ad] in *TCA* 20 inquirere *δ* faciamus *V l m* 22 voluntatis *om. G* 25 ne] nec *TA* 27 timueris istud *V* 28 inquiratur *B a e l* 28—29 haec sermocinatio m. t. iam *δ edd*

esse pulsatas. In quarum penetralia cum deo duce venire coeperimus, iudicabis profecto quantum inter hanc disputationem et eas quae sequuntur intersit quantumque illa praestent non modo investigationis sagacitate, sed etiam maiestate rerum et clarissima luce veritatis. Pietas tantum adsit, ut nos divina providentia cursum quem instituimus tenere et perficere permittat.

E. Cedo voluntati tuae et ei meam iudicio et voto libentissime adiungo.

---

1 quarum rerum δ 3 secuntur *B TAG γ Y* illa *M α γ δ* (*cf. p. 35, 5* quae, *77, 2* quorum) illae *cet.* 6 adsistit *M* assistat *α δ* 8 credo *M B A X m 1 K m 1 F m 1 RV m 1 a*

LIBER SECUNDUS

1. **1.** *E.* Iam, si fieri potest, explica mihi, quare dederit deus homini liberum arbitrium voluntatis, quod utique si non accepisset, peccare non posset.

A. Iam enim certum tibi atque cognitum est deum dedisse homini hoc, quod dari debuisse non putas?

E. Quantum in superiori libro intellegere mihi visus sum, et habemus liberum voluntatis arbitrium et non nisi eo peccamus.

A. Ego quoque memini iam nobis id factum esse perspicuum. Sed nunc interrogavi, utrum hoc quod nos habere et quo nos peccare manifestum est, deum nobis dedisse scias.

2. *E.* Nullum alium puto. Ab ipso enim sumus et sive peccantes sive recte facientes ab illo poenam meremur aut praemium.

A. Hoc quoque utrum liquido noveris an auctoritate commotus libenter etiam incognitum credas, cupio scire.

E. Auctoritati quidem me primum de hac re credidisse confirmo. Sed quid verius quam omne bonum ex deo esse et omne iustum bonum esse et peccantibus poenam recteque facientibus praemium iustum esse ? Ex quo conficitur a deo adfici et peccantes miseria et recte facientes beatitate.

2. **3.** *A.* Nihil resisto. Sed quaero illud alterum, quomodo noveris nos ab ipso esse. Neque enim hoc nunc, sed ab ipso nos vel poenam vel praemium mereri explicasti.

E. Hoc quoque non aliunde video esse manifestum, nisi quod iam constat deum vindicare peccata, siquidem ab illo

---

deest B

---

2 voluntatis arbitrium *V l m* 4 enim] *v. Thes. 572, 63 sqq.* 6 superiore *δ L* mihi intellegere *L* 13 recte agentes *δ edd* 20 a deo *om. L*

est omnis iustitia. Non enim ut alicuius est bonitatis alienis praestare beneficia, ita iustitiae vindicare in alienos. **4.** Unde manifestum est ad eum nos pertinere, quia non solum in nos benignissimus in praestando, sed etiam iustissimus in vindicando est. Deinde ex eo, quod ego posui tuque concessisti, omne bonum ex deo esse, etiam hominem ex deo esse intellegi potest. Homo enim ipse in quantum homo est, aliquod bonum est, quia recte vivere cum vult potest.

5. *A.* Plane si haec ita sunt, soluta quaestio est quam 3. proposuisti. Si enim homo aliquod bonum est et non posset, nisi cum vellet, recte facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam deum dedisse credendum est. Satis ergo causae est cur dari debuerit, quoniam sine illa homo recte non potest vivere. Ad hoc autem datam vel hinc intellegi potest, quia si quis ea usus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur. **6.** Quod iniuste fieret, si non solum ut recte viveretur, sed etiam ut peccaretur, libera esset voluntas data. Quomodo enim iuste vindicaretur in eum, qui ad hanc rem usus esset voluntate, ad quam rem data est? Nunc vero deus cum peccantem punit, quid aliud tibi videtur dicere nisi: 'Cur non ad eam rem usus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi?' hoc est ad recte faciendum? **7.** Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa iustitia in damnandis peccatis recteque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset aut recte factum quod non fieret voluntate. Ac per hoc et poena iniusta esset et praemium, si homo

7—8 cf. Retract. 1, 8, 3

deest B

3 quia] qui β 5 proposui *G* 9 est quaestio *Y* 10 est] esse *M X* γ esset *LK m 1* 13 eam *om. L* 15 non potest recte vivere *G* recte vivere non potest *V* 20 *alt.* rem *om.* γ 21 data esset δ 22 videtur tibi aliud *edd* 27—28 quod non fieret voluntate *om.* α

voluntatem liberam non haberet. Debuit autem et in supplicio et in praemio esse iustitia, quoniam hoc unum est bonorum quae sunt ex deo. Debuit igitur deus dare homini liberam voluntatem.

II. 4. **8.** *E.* Iam concedo eam deum dedisse. Sed nonne tibi videtur, quaeso te, si ad recte faciendum data est, quod non debuerit ad peccandum posse converti, sic ut ipsa iustitia quae data est homini ad bene vivendum? Numquid enim potest quispiam per iustitiam suam male vivere? Sic nemo posset per voluntatem peccare, si voluntas data est ad recte faciendum.

9. *A.* Donabit quidem deus, ut spero, ut tibi valeam respondere, vel potius ut ipse tibi, eadem quae summa omnium magistra est veritate intus docente, respondeas. Sed paulisper volo mihi dicas, si id quod abs te quaesiveram certum et cognitum tenes, deum nobis dedisse liberam voluntatem, utrum oporteat dicere dari non debuisse quod dedisse confitemur deum. **10.** Si enim incertum est utrum dederit, recte quaerimus utrum bene sit data, ut cum invenerimus bene datam esse, inveniatur etiam illum dedisse a quo animae data sunt omnia bona; si autem invenerimus non bene datam esse, non eum dedisse intellegamus, quem culpare nefas est. Si vero certum est quod ipse illam dederit, oportet fateamur, quoquo modo data est, neque non dari neque aliter eam dari debuisse quam data est. Ille enim dedit cuius factum recte reprehendi nullo pacto potest.

5. **11.** *E.* Quamquam haec inconcussa fide teneam, tamen quia cognitione nondum teneo, ita quaeramus quasi omnia incerta sint. Video enim ex hoc quod incertum est, utrum ad

---

13—14 cf. Mag. 14, 45

deest B

---

1 liberam voluntatem non haberet *X* vol. non hab. lib. *δ edd* 1—2 in praemio et in supplicio *V* 10 esset *δ edd* 13—14 magistra omnium summa *L* 15 mihi volo *δ edd* 19 data sit *L* 20 illud *M C δ* 21 animae] homini *a mg. e l m* 24 quomodo *M α γ Y fort. recte* 25 dari eam *e l m*

recte faciendum voluntas libera data sit, cum per illam etiam peccare possimus, fieri etiam illud incertum, utrum dari debuerit. **12.** Si enim incertum est ad recte faciendum datam esse, incertum est etiam dari debuisse; ac per hoc etiam utrum eam deus dederit incertum erit, quia si incertum est dari debuisse, incertum est ab eo datam esse, quem nefas est credere dedisse aliquid quod dari non debuit.

A. Illud saltim tibi certum est deum esse?

E. Etiam hoc non contemplando, sed credendo inconcussum teneo.

13. *A.* Si quis ergo illorum insipientium de quibus scriptum est: Dixit insipiens in corde suo: non est deus, hoc tibi diceret nec vellet tecum credere quod credis, sed cognoscere utrum vera credideris, relinqueresne hominem an aliquo modo quod inconcussum tenes persuadendum esse arbitrareris, praesertim si ille non obluctari pervicaciter, sed studiose id vellet agnoscere?

14. *E.* Hoc quod ultimum posuisti satis me admonet quid ei respondere deberem. Certe enim quamvis esset absurdissimus, concederet mihi cum doloso et pervicaci de nulla omnino et maxime de re tanta non esse disserendum. Quo concesso prior mecum ageret, ut sibi crederem bono animo eum istuc quaerere neque aliquid in se, quod ad rem hanc adtinet, doli ac pervicaciae latere. **15.** Tum ego demonstrarem, quod cuivis facillimum puto, quanto esset aequius, cum sibi de occultis animi sui quae ipse nosset vellet alterum credere qui non nosset, ut etiam ipse tantorum virorum libris, qui se cum filio dei vixisse testatum litteris reliquerunt, esse deum crederet, quia et ea se vidisse scripserunt quae nullo modo fieri possent si non esset deus et nimium stultus esset si me reprehenderet quod illis crediderim

12—13 Ps. 52, 1; 13, 1

deest B

24 adtinet *M X F* att- *cet.* cum ego *M TCA F m 1* tum ergo *X* 26 nosse vellet *M X F m 1 Rouen 476* 31 nimius *M* nimis *β δ*

qui sibi vellet ut crederem. Iam vero quod recte reprehendere non valeret, nullo modo reperiret cur etiam nollet imitari.

16. *A.* Si ergo utrum sit deus satis esse existimas, quod non temere tantis viris credendum esse iudicavimus, cur non, quaeso te, de his quoque rebus, quas tamquam incertas et plane incognitas quaerere instituimus, similiter putas eorundem virorum auctoritati sic esse credendum ut de investigatione earum nihil amplius laboremus?

E. Sed nos id quod credimus nosse et intellegere cupimus.

6. **17.** *A.* Recte meministi, quod etiam in exordio superioris disputationis a nobis positum esse negare non possumus. Nisi enim et aliud esset credere, aliud intellegere et primo credendum esset quod magnum et divinum intellegere cuperemus, frustra propheta dixisset: N i s i c r e d i d e r i t i s, n o n i n t e l l e g e t i s. **18.** Ipse quoque dominus noster et dictis et factis ad credendum primo hortatus est quos ad salutem vocavit, sed postea cum de ipso dono loqueretur quod erat daturus credentibus non ait: 'Haec est autem vita aeterna ut credant', sed: H a e c e s t, inquit, v i t a a e t e r n a u t c o g n o s c a n t t e v e r u m d e u m e t q u e m m i s i s t i I e s u m C h r i s t u m. Deinde iam credentibus dicit: Q u a e r i t e e t i n v e n i e t i s; nam neque inventum dici potest quod incognitum creditur neque quisquam inveniendo deo fit idoneus, nisi ante crediderit quod est postea cogniturus. **19.** Quapropter domini praeceptis obtemperantes quaeramus instanter; quod enim hortante ipso quaerimus, eodem ipso demonstrante inveniemus, quantum in hac vita et a nobis talibus inveniri queunt. Nam et a melioribus, etiam dum has terras incolunt, et certe a bonis et piis omnibus post hanc

15—16 *Esai. 7, 9 20—22 *Ioh. 17, 3 22—23 Matth. 7, 7

deest B

7 inde vestigatione *M α* 13 et *prius om. A* esset et aliud *δ a e* 19 autem *om. X* aeterna vita *K* 20 haec *om. V* inquid *M X* 21 verum deum] deum verum *a* solum deum verum *e l m* 25 antea *edd*

vitam evidentius atque perfectius ista cerni obtinerique credendum est et nobis ita fore sperandum et ista contemptis terrenis et humanis omni modo desideranda et diligenda sunt.

20. Quaeramus autem hoc ordine, si placet: primum, quo- III
modo manifestum est deum esse; deinde, utrum ab illo sint quaecumque in quantumcumque sunt bona; postremo, utrum in bonis numeranda sit voluntas libera. Quibus compertis satis apparebit, ut opinor, utrum recte homini data sit. Quare prius abs te quaero, ut de manifestissimis capiamus exordium, utrum tu ipse sis. An fortasse tu metuis ne in hac interrogatione fallaris? cum utique si non esses falli omnino non posses.

E. Perge potius ad cetera.

21. *A.* Ergo quoniam manifestum est esse te nec tibi aliter manifestum esset nisi viveres, id quoque manifestum est, vivere te. Intellegisne duo ista esse verissima?

E. Prorsus intellego.

A. Ergo etiam hoc tertium manifestum est, hoc est intellegere te.

E. Manifestum.

A. Quid in his tribus tibi videtur excellere?

E. Intellegentia.

A. Cur tibi hoc videtur?

22. *E.* Quia cum tria sint haec, esse vivere intellegere, et lapis est et pecus vivit, nec tamen lapidem puto vivere aut pecus intellegere; qui autem intellegit, eum et esse et vivere certissimum est. Quare non dubito id excellentius iudicare cui omnia tria insunt quam id cui vel unum desit.

23. Nam quod vivit, utique et est, sed non sequitur ut etiam intellegat, qualem vitam esse pecoris arbitror. Quod

---

deest B

---

2 sperandum est δ *edd* 6 bona *om. X* sunt bona sunt $\alpha\,\delta\,a\,e$ 8 ut opinor apparebit *V* 9 prius *om. TCA* abs te prius *K* 10 tu metuis δ *edd* te metuis *M* α *FR* *om.* β *V* 16 et te vivere δ ista duo δ *edd* 21 tibi *om.* γ 28 cui duo vel *edd*

autem est, non utique consequens est ut et vivat et intellegat, nam esse cadavera possum fateri, vivere autem nullus dixerit. Iam vero quod non vivit, multo minus intellegit.

24. *A.* Tenemus igitur horum trium duo deesse cadaveri, unum pecori, nihil homini.

E. Verum est.

A. Tenemus etiam id, esse in his tribus praestantius quod homo cum duobus ceteris habet, id est intellegere, quod habentem sequitur et esse et vivere.

E. Tenemus sane.

8. **25.** *A.* Dic mihi iam utrum illos vulgatissimos corporis sensus habere te noveris, videndi et audiendi et olfaciendi et gustandi et tangendi.

E. Novi.

A. Quid putas pertinere ad videndi sensum? id est, quid putas nos videndo sentire?

E. Quaecumque corporalia.

A. Num etiam dura et mollia videndo sentimus?

E. Non.

A. Quid ergo proprie ad oculos pertinet, quod per eos sentimus?

E. Color.

A. Quid ad aures?

E. Sonus.

A. Quid ad olfactum?

E. Odor.

A. Quid ad gustatum?

E. Sapor.

A. Quid ad tactum?

E. Molle vel durum, lene vel asperum et multa talia.

A. Quid? corporum formas, magnas breves quadras rotundas et si quid huiusmodi est, nonne et tangendo et

---

deest B

---

4 ergo δ 8 quod homo] quomodo *M m 1 T m 1 C F m 1 Rouen 476* 27 gustum *G RV* δ *edd* 32 *secundum* et *om.* γ

videndo sentimus et ideo nec visui proprie nec tactui tribui possunt, sed utrique?

E. Intellego.

26. *A.* Intellegis ergo et quaedam singulos sensus habere propria de quibus renuntient, et quaedam quosdam habere communia?

E. Et hoc intellego.

A. Quid igitur ad quemque sensum pertineat et quid inter se vel omnes vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo eorum sensu diiudicare?

E. Nullo modo, sed quodam interiore ista diiudicantur.

A. Num forte ipsa est ratio, qua bestiae carent? Nam, ut opinor, ratione ista conprehendimus et ita se habere cognoscimus.

27. *E.* Magis arbitror nos ratione conprehendere esse interiorem quendam sensum ad quem ab istis quinque notissimis cuncta referantur. Namque aliud est quo videt bestia et aliud quo ea quae videndo sentit vel vitat vel appetit. Ille enim sensus in oculis est, ille autem in ipsa intus anima, quo non solum ea quae videntur, sed etiam ea quae audiuntur quaeque ceteris capiuntur corporis sensibus, vel adpetunt animalia delectata et adsumunt vel offensa devitant et respuunt. **28.** Hic autem nec visus nec auditus nec olfactus nec gustatus nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud quod omnibus communiter praesidet. Quod cum ratione conprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possum, quoniam et bestiis inesse manifestum est.

29. *A.* Agnosco istuc quidquid est, et eum interiorem sensum appellare non dubito. Sed nisi et istum transeat, quod 9.

deest B

5 et *om.* α 11 iudicantur *M XL* γ 12 fortasse α δ *edd* 13 conprehendimus *M F* comp- δ cōp- *cet.* 15 nos arbitror α δ *edd* conprehendere *om. X* 17 vident bestiae *L* 18 et *om. edd* sentiunt vel vitant vel appetunt *L* 19 intus in ipsa *edd* 20 ea *om. A L l m* 24 gustus δ *G V a e l* 27 possumus *L* 28 istud *CG V m*

ad nos refertur a sensibus corporis, pervenire ad scientiam non potest. Quicquid enim scimus, id ratione conprehensum tenemus. Scimus autem, ut de ceteris taceam, nec colores auditu nec voces visu posse sentiri. **30.** Et cum hoc scimus, nec oculis nec auribus scimus neque illo sensu interiore quo nec bestiae carent. Non enim credendum est eas nosse nec auribus sentiri lucem nec oculis vocem, quoniam ista non nisi rationali animadversione et cogitatione discernimus.

31. *E.* Non possum dicere hoc me habere perceptum. Quid si enim sensu illo interiore, quo eas non carere concedis, hoc quoque diiudicant, nec colores auditu nec visu voces posse sentire?

A. Num etiam putas eas posse discernere ab invicem colorem qui sentitur et sensum qui in oculo est et illum interiorem sensum apud animam et rationem qua ista singillatim definiuntur et dinumerantur?

E. Nullo modo.

32. *A.* Quid? ista ratio posset haec quattuor discernere ab invicem et definitionibus terminare, nisi ad eam referretur et color per oculorum sensum et ipse rursus per illum interiorem qui ei praesidet et idem interior per se ipsum, si tamen iam nihil aliud interpositum est?

E. Non video quomodo aliter posset.

33. *A.* Quid? hoc videsne, sensu oculorum colorem sentiri, eundem autem sensum eodem sensu non sentiri? Non enim quo sensu colorem vides, hoc eodem vides etiam ipsum videre.

E. Non omnino.

A. Enitere etiam ista diiudicare. Nam credo te non negare aliud colorem esse et aliud colorem videre et item aliud, etiam cum color non subest, habere sensum quo videri posset si subesset.

---

deest B

---

7 ista *om. V* 12 sentire *M γ* (*v. ad p. 22, 16*) sentiri *cet.* (persentiri *S*) 13 eos *TCA* 15 interiorem illum *edd* 18 quatuor *β δ* 30 quod videri *F m 1 Rouen 476* quo videre *F m 2 RV*

E. Discerno et ista et inter se differre concedo.

34. *A.* Num horum trium quicquam vides oculis nisi colorem?

E. Nihil aliud.

A. Dic ergo unde videas alia duo. Non enim ea posses non visa discernere.

E. Nescio quid aliud; esse scio, nihil amplius.

A. Nescis igitur, utrum iam ipsa ratio an illa vita sit, quam sensum interiorem vocamus praecellentem sensibus corporis, an aliquid aliud?

E. Nescio.

35. *A.* Illud tamen scis, ea definire nisi ratione non posse neque rationem id facere nisi de his quae sibi examinanda offeruntur.

E. Certum est.

A. Quicquid est igitur aliud quo sentiri potest omne quod scimus, ministerium rationis est, cui offert et renuntiat quidquid attingit, ut ea quae sentiuntur discerni suis finibus possint et non sentiendo tantum, sed etiam sciendo comprehendi.

E. Ita est.

36. *A.* Quid? ipsa ratio quae ministros suos et ea quae suggerunt discernit invicem et item quid inter haec et se ipsam distet agnoscit seque illis praepotentiorem esse confirmat, num alia re se ipsam nisi se ipsa, id est ratione, comprehendit? an aliter scires te habere rationem nisi id ratione perciperes?

E. Verissimum est.

37. *A.* Quoniam ergo, cum colorem sentimus, non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus, neque cum audimus

deest B

1 *pr.* et *om. V* 6 non visa posses *edd* 7 M(*agister:*) Nihil amplius? D(*iscipulus:*) Nihil *L* 12 definire *M F m 1 Rouen 476* (*v. ad p. 22, 16*) definiri *cet.* (diffiniri *S*) 16 igitur est *F V δ edd* est *om. G* 18 quidquid] quid *F m 1* quod *F m 2 R V*

sonum nostrum etiam audimus auditum, neque cum olfacimus rosam olet nobis aliquid et noster olfactus, neque quicquam gustantibus sapit in ore ipse gustus nec tangentes aliquid ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere, manifestum est quinque istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis eis corporalia quaeque sentiantur.

E. Manifestum est.

38. *A.* Arbitror etiam illud esse manifestum, sensum illum interiorem non ea tantum sentire quae accepit a quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se vel adpetendo aliquid vel fugiendo, nisi se sentire sentiret, non ad sciendum, nam hoc rationis est, sed tantum ad movendum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit. **39.** Quod si adhuc obscurum est, elucescet, si animadvertas quod exempli gratia sat est in uno aliquo sensu, velut in visu. Namque aperire oculum et movere aspiciendo ad id quod videre adpetit nullo modo posset, nisi oculo clauso vel non ita moto se id non videre sentiret. Si autem sentit se non videre dum non videt, necesse est etiam sentiat se videre dum videt, quia, cum eo adpetitu non movet oculum videns, quo movet non videns, et indicat se utrumque sentire.

40. Sed utrum et se ipsam haec vita sentiat, quae se corporalia sentire sentit, non ita clarum est, nisi quod se quisque intus interrogans invenit omnem rem viventem fugere mortem; quae cum sit vitae contraria, necesse est ut vita etiam se ipsam sentiat, quae contrarium suum fugit. **41.** Quod si adhuc non liquet, omittatur, ut non nitamur ad id quod volumus nisi certis manifestisque documentis. Manifesta enim sunt: sensu corporis sentiri corporalia; eundem autem sensum

deest B

2 noster] inter *TCA*, ipse *C m 2 G edd*, *om.* *γ* 3 ipse gustus] ipse gustatus *XL* gustatus ipse *K* 9 accipit *β* acceperit *edd* 10 enim *om.* *X* aliter enim *G* 13 illum *TCA* 20 non *om.* *TCA* 21 et indicat *M TCA β F a e l* et *om.* *cet.* 29 manifestum est enim *S*

hoc eodem sensu non posse sentiri; sensu autem interiore et corporalia per sensum corporis sentiri et ipsum corporis sensum; ratione vero et illa omnia et eandem ipsam notam fieri et scientia contineri. An tibi non videtur?

E. Videtur sane.

A. Age, nunc responde unde sit quaestio, ad cuius solutionem pervenire cupientes iam diu ista molimur via.

42. *E.* Quantum memini, trium illarum quaestionum V. quas paulo ante ad contexendum ordinem huius disputationis posuimus, nunc prima versatur, id est quomodo manifestum fieri possit, quamvis tenacissime firmissimeque credendum sit, deum esse.

A. Recte hoc tenes. Sed etiam illud diligenter tenere te volo, cum de te ipso quaererem utrum esse te noveris, non solum hoc, sed alia etiam duo nobis apparuisse quod noveris.

E. Id quoque teneo.

43. *A.* Nunc ergo vide ad quam rem istarum trium intellegas pertinere omne quod corporis sensus attingit; id est, in quo rerum genere tibi ponendum videatur, quicquid vel oculorum vel alio quolibet corporis instrumento noster sensus attingit, utrum in eo, quod tantum est, an in eo, quod etiam vivit, an in eo, quod etiam intellegit.

E. In eo quod tantum est.

A. Quid? ipsum sensum in quo genere trium horum esse censes?

E. In eo quod vivit.

A. Quid igitur horum duorum melius esse iudicas? sensum ipsum an quod sensus attingit?

E. Sensum scilicet.

A. Quare?

E. Quia melius est id quod etiam vivit quam id quod tantum est.

---

deest B

---

7 istam m. viam *γ l m* 10 proposuimus *G* 14 te esse *edd* 15 etiam alia *X Y edd* quod noveris] cognoveris *δ* 29 sensus *M XK*

12. **44.** *A.* Quid? illum sensum interiorem, quem quidem infra rationem et adhuc nobis communem cum bestiis superius indagavimus, dubitabisne huic sensui praeponere, quo corpus attingimus et quem iam ipsi corpori praeponendum esse dixisti?

E. Nullo modo dubitaverim.

45. *A.* Etiam hoc cur non dubites volo abs te audire. Non enim poteris dicere hunc sensum interiorem iam in eo genere trium illorum esse ponendum quod etiam intellegit, sed adhuc in eo quod et est et vivit, etiamsi intellectu caret; iste enim sensus inest et bestiis, quibus intellectus non inest. Quae cum ita sint, quaero cur praeponas sensum interiorem sensui quo corporalia sentiuntur, cum sit uterque in eo genere quod vivit. **46.** Sensum autem istum qui corpora adtingit ideo praeposuisti corporibus, quia illa sunt in eo genere quod tantum est, iste vero in eo quod etiam vivit; in quo cum et ille interior reperiatur, cur eum meliorem putes dic mihi. Si enim dixeris quia ille istum sentit, non te credo inventurum regulam qua fidere possimus omne sentiens melius esse quam id quod ab eo sentitur, ne fortassis ex hoc etiam cogamur dicere omne intellegens melius esse quam id quod ab eo intellegitur. **47.** Hoc enim falsum est, quia homo intellegit sapientiam et non est melior quam ipsa sapientia. Quamobrem vide qua causa tibi visum sit sensum interiorem huic sensui quo sentimus corpora esse praeferendum.

48. *E.* Quia moderatorem et iudicem quendam huius illum esse cognosco. Nam et si quid huic in officio suo abfuerit, ille tamquam debitum a ministro flagitat, sicut paulo ante disputatum est. Non enim se videre aut non videre sensus oculi videt, et quia non videt, non potest quid sibi desit aut quid satis sit iudicare, sed ille interior, quo admonetur et anima bestiae aperire oculum clausum et quod deesse sentit

deest B

11 et *om.* δ 19 figere γm 22 homo qui *L* 23 et *om. L* 26 huius *om. T* illum huius *L* 27 adfuerit *M* defuerit $\beta \gamma l m$ 32 deese] esse *TCA*

implere. Nulli autem dubium est eum qui iudicat eo de quo iudicat esse meliorem.

49. *A.* Cernis ergo etiam istum corporis sensum de corporibus quodam modo iudicare? Ad illum enim pertinet voluptas et dolor, cum vel leniter vel aspere corpore attingitur. Nam sicut ille interior quid desit vel satis sit oculorum sensui iudicat, sic ipse sensus oculorum quid desit vel satis sit coloribus iudicat. Item sicut ille interior de auditu nostro iudicat, utrum minus an sufficienter intentus sit, sic iudicat auditus ipse de vocibus, quid earum leniter influat aut aspere perstrepat. **50.** Non necesse est ceteros sensus corporis persequi. Iam enim, ut opinor, animadvertis quid velim dicere, ita scilicet sensum illum interiorem de istis corporis sensibus iudicare, cum eorum et integritatem probat et debitum flagitat, quem ad modum et ipsi corporis sensus de corporibus iudicant, adsumentes in eis lenem tactum reicientesque contrarium.

E. Cerno sane et verissima esse consentio.

51. *A.* Adtende iam, utrum etiam ratio de hoc interiore VI sensu iudicet. Iam enim non quaero utrum eam meliorem illo esse dubites, quia non dubito id te iudicare; quamquam ne id quidem iam quaerendum putem, utrum de isto sensu iudicet ratio. Namque in his ipsis quae infra eam sunt, id est in corporibus et in sensibus corporis et isto interiore sensu, quo modo sit aliud alio melius et quam sit illis ipsa praestantior, quae tandem nisi ipsa renuntiat? Quod profecto nullo modo posset, nisi de his ipsa iudicaret.

E. Manifestum est.

52. *A.* Cum ergo eam naturam quae tantum est neque vivit neque intellegit, sicut est corpus exanime, praecedat

deest B

3 istum etiam *edd* 5 corpus *γ* 6—7 quid—sensus oculorum] de visu nostro iudicat utrum minus clare an sufficienter videat sic visus ipse *G m mg.* 12 animum advertis *M m 1 T XK γ* 18 sane] ergo *L* 22 in isto *L* 25 praestantior ipsa *δ edd* 29 nec *δ edd et ita p. 51, 1*

ea natura quae non tantum est, sed etiam vivit neque intellegit, sicuti est anima bestiarum, et rursus hanc praecedat ea quae simul et est et vivit et intellegit, sicut in homine mens rationalis: num arbitraris in nobis, id est in his quibus natura nostra completur ut homines simus, aliquid invenire posse praestantius quam hoc quod in his tribus tertio loco posuimus? **53.** Nam et corpus nos habere manifestum est et vitam quandam qua ipsum corpus animatur atque vegetatur, quae duo etiam in bestiis agnoscimus, et tertium quiddam quasi animae nostrae caput aut oculum aut si quid congruentius de ratione atque intellegentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. Quare vide, obsecro, utrum aliquid invenire possis, quod sit in natura hominis ratione sublimius.

E. Nihil omnino melius video.

14. **54.** *A.* Quid si aliquid invenire potuerimus quod non solum esse non dubites, sed etiam ipsa nostra ratione praestantius? dubitabisne illud quidquid est deum dicere?

E. Non continuo, si quid melius quam id quod in mea natura optimum est invenire potuero, deum esse dixerim. Non enim mihi placet deum appellare quo mea ratio est inferior, sed quo est nullus superior.

55. *A.* Ita plane, nam ipse huic tuae rationi dedit tam de se pie vereque sentire. Sed, quaeso te, si non inveneris esse aliquid supra nostram rationem nisi quod aeternum atque incommutabile est, dubitabisne hunc deum dicere? Nam et corpora mutabilia esse cognoscis et ipsam vitam qua corpus animatur per adfectus varios mutabilitate non carere manifestum est et ipsa ratio, cum modo ad verum pervenire nititur modo non nititur et aliquando pervenit aliquando non pervenit, mutabilis profecto esse convincitur. **56.** Quae si nullo adhibito corporis instrumento neque per tactum neque

deest B

5 invenire γ *M K* (*v. ad p. 22, 16*) inveniri *cet.* 21 nullus est *edd* 25 deum *om.* α 30 esse profecto *Y edd* quae] quam *M* quod γ *G X*

per gustatum neque per olfactum neque per aures neque per oculos neque per ullum sensum se inferiorem, sed per se ipsam cernit aeternum aliquid et incommutabile, simul et se ipsam inferiorem et illum oportet deum suum esse fateatur.

E. Hunc plane fatebor deum quo nihil superius esse constiterit.

57. *A.* Bene habet. Nam mihi satis erit ostendere esse aliquid huius modi quod aut fateberis deum esse, aut si aliquid supra est, eum ipsum deum esse concedes. Quare sive supra sit aliquid sive non sit, manifestum erit deum esse, cum ego, quod promisi, esse supra rationem eodem ipso adiuvante monstravero.

E. Demonstra ergo quod polliceris.

58. *A.* Faciam. Sed prius quaero utrum sensus corporis VII. meus idem sit qui tuus an vero meus non sit nisi meus et tuus non sit nisi tuus. Quod si non ita esset, non possem per oculos meos videre aliquid quod tu non videres.

59. *E.* Concedo prorsus, quamvis eiusdem generis, tamen singulos nos habere sensus, videndi vel audiendi vel quoslibet alios ceterorum. Non enim solum videre sed etiam audire potest aliquis hominum quod alius non audiat, et aliud aliquid quolibet alio sensu quisquam sentire quod alius non sentiat. Unde manifestum est et tuum non nisi tuum et meum sensum non esse nisi meum.

60. *A.* Hoc idem respondebis de illo etiam sensu interiore? an aliquid aliud?

E. Nihil sane aliud. Nam et ille utique sensum meum sentit meus et tuum sentit tuus; nam ideo plerumque interrogor ab eo qui aliquid videt, utrum hoc etiam ego videam,

---

deest B

---

1 gustum *M m2 Gm2 V S* 2 ullum] illum *M α X K F m1* 4 et *om. γ* illud *L* 8 habes *δ* 9 quod aut] quid autem *X* 20 videndi et *X* 21 audire etiam *L*

quia ego me videre aut non videre sentio, non ille qui interrogat.

61. *A.* Quid? ipsam rationem nonne unus quisque nostrum habet suam? quandoquidem fieri potest ut ego aliquid intellegam cum tu id non intellegis, nec utrum intellegam tu scire possis, ego autem sciam.

E. Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosque nostrum singulas habere.

16. **62.** *A.* Num etiam poteris dicere singulos soles nos habere quos videmus aut lunas aut luciferos aut cetera huius modi, quamvis suo quisque ac proprio sensu ista videat?

E. Nullo modo istuc dixerim.

63. *A.* Possumus ergo videre unum aliquid multi simul, cum sint sensus nostri nobis singulis singuli, quibus omnibus illud unum sentimus quod simul videmus, ut quamvis alius sensus meus sit et alius tuus, possit tamen fieri ut id quod videmus non sit aliud meum aliud tuum, sed unum illud praesto sit utrique nostrum et simul ab utroque videatur.

E. Manifestissimum est.

64. *A.* Possumus etiam unam aliquam vocem simul audire, ut quamvis alius sit auditus meus alius tuus, non sit tamen alia mea et alia tua vox quam simul audimus, vel alia pars eius auditu meo capiatur et alia tuo, sed quicquid sonuerit, et unum et totum audiendum simul adsit ambobus.

E. Et hoc manifestum est.

17. **65.** *A.* Iam etiam de ceteris sensibus corporis licet animadvertas quod dicimus, neque omnino illos, quod ad hanc rem adtinet, ita se habere, ut illos duos oculorum et aurium, neque omnino non ita. **66.** Nam quia ex uno aere et ego et tu possumus implere spiramentum et eius aeris adfectionem odore sentire, et item quia ex uno melle vel quolibet alio cibo seu potu ambo gustare possumus et eius adfectionem

---

deest B

---

5 tu *om.* γ 12 istud *C V m* 17 illud unum δ *edd* 27 animum advertas *M m 1 T m 1 X* γ

sapore sentire, quamvis ille unus sit, nostri autem sint sensus singuli, tibi tuus et mihi meus, ut unum odorem vel unum saporem cum ambo sentiamus, nec tu tamen eum meo sensu sentias nec ego tuo nec aliquo uno qui utriusque nostrum possit esse communiter, sed prorsus mihi meus sensus sit et tuus tibi, etiam si unus aut odor aut sapor ab utroque sentiatur: hinc ergo isti sensus inveniuntur habere aliquid tale quale illi duo in visu et auditu; **67.** sed in eo dispares sunt, quantum ad id quod nunc agimus pertinet, quod, etsi unum aerem naribus ambo trahimus aut unum cibum gustando capimus, non tamen eam partem aeris duco quam tu nec eandem partem cibi sumo quam tu, sed aliam ego aliam tu. Et ideo de toto aere cum spiro, duco partem quanta mihi satis est, et tu item de toto aliam quanta tibi satis est ducis. **68.** Et cibus quamvis unus et totus ab utroque absumatur, non tamen et a me totus et a te totus absumi potest, quomodo verbum et ego totum audio et tu totum simul et speciem quamlibet quantam ego video tantam et tu simul; sed cibi vel potionis alia pars in me alia in te transeat necesse est. An parum ista intellegis?

E. Immo vero apertissima et certissima esse consentio.

69. *A.* Num censes tangendi sensum conparandum esse 18.
oculorum et aurium sensibus in ea re de qua nunc agitur? qua non solum corpus unum ambo possumus sentire tangendo, sed etiam eandem partem tu quoque poteris tangere quam ego tetigero, ut non solum idem corpus, sed eandem quoque corporis partem possimus ambo sentire tangendo. **70.** Non enim sicuti cibum aliquem adpositum non possumus et ego totum et tu totum capere cum ambo illo vescimur, sic etiam in tangendo accidit; sed et unum et totum quod ego tetigero etiam tu potes, ut id ambo tangamus, non singulis partibus, sed totum singuli.

---

deest B

---

6 utrisque $\alpha\delta ael$ 7 tale tamen *X* 16 ego tecum *X* 24 qua (*i. quia*) *M TCA* β *F m 1* (*cf. p. 77, 30* qua *M m 2*) quia *cet.* 26 idem] id est *TA*

71. *E.* Fateor hoc modo duobus illis superioribus sensibus hunc tangendi sensum esse simillimum. Sed in hoc video esse dissimilem, quod simul, id est uno tempore, et videre aliquid unum totum ambo possumus et audire, tangere autem possumus quidem totum aliquid ambo uno tempore, sed partibus singulis, eandem autem partem non nisi temporibus singulis; nam nulli parti quam tactu capis possum meum tactum admovere nisi tu removeris tuum.

19. **72.** *A.* Vigilantissime respondisti. Sed oportet te etiam illud videre: cum horum omnium quae sentimus alia sint quae ambo alia quae singuli sentiamus, ipsos vero sensus nostros suos quisque singuli sentiamus, ut neque ego sentiam sensum tuum neque tu meum, quid de his rebus quae sentiuntur a nobis per corporis sensus, id est quid de corporalibus rebus non possumus sentire ambo, sed singuli, nisi quod ita fit nostrum ut hoc in nos vertere et commutare possimus? **73.** Sicuti est cibus et potus, cuius nullam partem quam ego percepero et tu percipere poteris, quia et si nutrices alimenta mansa infantibus reddunt, illud tamen, quod inde gustatus rapuerit atque in mandentis viscera commutaverit, nullo modo revocari poterit ut in escam refundatur infantis. **74.** Gula enim cum aliquid iucunde sapit, etiamsi exiguam, tamen inrevocabilem partem sibi vindicat et hoc cogit fieri quod naturae corporis convenit. Quod nisi ita esset, nullus remaneret sapor in ore, posteaquam fuerint mansa illa reddita atque desputata.

75. Quod etiam de aeris partibus recte dici potest quas naribus ducimus. Nam etiamsi aliquid aeris quod reddidero possis etiam tu ducere, non tamen poteris etiam illud quod inde in alimentum meum cesserit, quia nec reddi potest. Nam etiam naribus alimentum nos capere medici docent, quod

deest B

3 idem *X* 8 amoveris *S edd* 13 quod *F m 2 R V m* 14 quod *F m 2 R V m* qui *TCA* 15 nisi] illud *F m 2 R V* 22 iucunde *M X* iocunde *cet.* 26 desputa *β γ*

alimentum et spirando solus sentire possum et reflando restituere non possum, ut abs te etiam ductum naribus sentiatur.

76. Nam cetera sensibilia, quae quamvis sentiamus, non tamen ea sentiendo in nostrum corpus corrupta mutamus, possumus ea sive uno tempore sive singulis vicissim temporibus ambo sentire, sic ut vel totum vel pars ipsa quam sentio abs te etiam sentiatur. Qualia sunt sive lux sive sonus sive corpora quae attingimus, non tamen laedimus.

E. Intellego.

77. *A.* Manifestum est ergo ea quae non commutamus et tamen sentimus corporis sensibus, et non pertinere ad naturam sensuum nostrorum et propterea magis nobis esse communia, quia in nostrum proprium et quasi privatum non vertuntur atque mutantur.

E. Prorsus adsentior.

78. *A.* Proprium ergo et quasi privatum intellegendum est quod unus quisque nostrum sibi est et quod in se solus sentit quod ad suam naturam proprie pertinet; commune autem et quasi publicum, quod ab omnibus sentientibus nulla sui corruptione atque commutatione sentitur.

E. Ita est.

79. *A.* Age, nunc attende, et dic mihi utrum inveniatur VIII. 2
aliquid quod omnes ratiocinantes sua quisque ratione atque mente communiter videant, cum illud quod videtur praesto sit omnibus nec in usum eorum quibus praesto est commutetur quasi cibus aut potio, sed incorruptum integrumque permaneat, sive illi videant sive non videant. An forte nihil huiusmodi esse arbitraris?

80. *E.* Immo multa esse video, e quibus unum commemorari satis est: quod ratio et veritas numeri omnibus ratiocinantibus praesto est, ut omnis eam computator sua

deest B

15 commutantur *L* 18 unicuique nostrum soli *F m 2 R V l m* 20 publicum est *γ* 32 computatur *X* computet *L*

quisque ratione et intellegentiā conetur adprehendere et alius id facilius alius difficilius possit, cum tamen ipsa aequaliter se omnibus praebeat valentibus eam capere, nec cum eam quisque percipit in sui perceptoris quasi alimentum vertatur atque commutetur, nec cum in ea quisque fallitur ipsa deficiat, sed ea vera et integra permanente ille in errore sit tanto amplius quanto minus eam videt.

21. **81.** *A.* Recte sane. Sed video te tamquam non rudem harum rerum cito invenisse quod diceres. Tamen, si tibi aliquis diceret numeros istos non ex aliqua sua natura, sed ex his rebus quas corporis sensu attingimus inpressos esse animo nostro quasi quasdam imagines quorumque visibilium, quid responderes? An tu quoque id putas?

82. *E.* Nullo modo id putaverim. Non enim si sensu corporis percepi numeros, idcirco etiam rationem partitionis numerorum vel copulationis sensu corporis percipere potui. Hac enim luce mentis refello eum quisquis vel in addendo vel in retrahendo dum conputat falsam summam renuntiaverit. Et quicquid sensu corporis tango, veluti est hoc caelum et haec terra et quaecumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint nescio. **83.** Septem autem et tria decem sunt et non solum nunc sed etiam semper neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem aut aliquando septem et tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri veritatem dixi mihi et cuilibet ratiocinanti esse communem.

22. **84.** *A.* Non resisto tibi verissima et certissima respondenti. Sed ipsos quoque numeros non per corporis sensus adtractos esse facile videbis, si cogitaveris quemlibet numerum tot vocari quotiens unum habuerit; verbi gratia, si bis habuerit unum duo vocantur, si ter tria, et si decies unum

deest B

3 omnibus se *Y edd* 11 sensu corporis α δ *edd* 15 rationes γ partionis *TCA* 17 haec *M* α eum] cum α 18 detrahendo *L* 22 ullo modo *om. L* 25 veritatem] naturam α *Y a e*

habent tunc vocantur decem, et quilibet omnino numerus quotiens habet unum hinc illi nomen est et tot appellatur. **85.** Unum vero quisquis verissime cogitat profecto invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu attingitur, iam non unum sed multa esse convincitur; corpus est enim et ideo habet innumerabiles partes. Sed ut minutas quasque minusque articulatas non persequar, quantulumcumque illud corpusculum sit, habet certe aliam partem dexteram aliam sinistram, aliam superiorem aliam inferiorem aut aliam ulteriorem aliam citeriorem aut alias finales aliam mediam. **86.** Haec enim necesse est quamlibet exiguo corporis modulo inesse fateamur, et propterea nullum corpus vere pureque unum esse concedimus, in quo tamen non possent tam multa numerari nisi illius unius cognitione discreta. Cum enim quaero unum in corpore et me non invenire non dubito, novi utique quid ibi quaeram et quid ibi non inveniam et non posse inveniri vel potius omnino ibi non esse. **87.** Ubi ergo novi quod non est corpus unum? Unum enim si non nossem, multa in corpore numerare non possem. Ubicumque autem unum noverim, non utique per corporis sensum novi, quia per corporis sensum non novi nisi corpus, quod vere pureque unum non esse convincimus. Porro si unum non percepimus corporis sensu, nullum numerum eo sensu percepimus, eorum dumtaxat numerorum quos intellegentiā cernimus. **88.** Nullus est enim ex his qui non tot vocetur quotiens habet unum, cuius perceptio sensu corporis non fit. Cuiuslibet enim corpusculi pars dimidia, quamvis duabus totum constat, habet et ipsa dimidiam suam; sic ergo sunt illae duae partes in corpore ut nec ipsae simpliciter duae sint; numerus autem

---

deest B

---

2 quocies *Y* quoties *m* 6 enim est *δ* 10 finalem *γ* 11 hanc *γ* 17 ergo] ego *γ* 18 unum *om. M X F m 1 Rouen 476* corpus unum *om. F m 2 R V, post* corpus unum *addunt* quid sit unum novi *e l m* 20 unum *om. M β γ* 25 enim est *m* quoties *Y m* 26 corporis sensu *Y edd* enim *om. γ* 27 quamvis *γ* quantis *cet.*

ille qui vocatur duo, quoniam bis habet illud quod simpliciter unum est, non potest pars eius dimidia, id est illud ipsum quod simpliciter unum est, non potest rursus habere partem dimidiam vel tertiam vel quotamlibet, quoniam simplex et vere unum est.

23. **89.** Deinde quoniam tenentes ordines numerorum post unum duo videmus, qui numerus ad unum collatus duplus invenitur, duplus duorum non consequenter adiungitur, sed interposito ternario quaternarius sequitur qui duplus est duorum. **90.** Et haec ratio per omnes ceteros numeros certissima et incommutabili lege pertenditur, ut post unum, id est post primum omnium numerorum, ipso excepto primus sit qui duplum eius habet, duo enim sequuntur; post secundum autem, id est post duo, ipso excepto secundus sit qui duplum eius habet; post duo enim primus est ternarius, secundus quaternarius duplus secundi; post tertium, id est post ternarium, ipso excepto tertius sit qui duplus est eius; post tertium enim, id est post ternarium, primus est quaternarius, secundus quinarius, tertius senarius qui duplus est tertii. **91.** Atque ita post quartum ipso excepto quartus habet duplum eius; post quartum enim, id est quaternarium, primus est quinarius, secundus senarius, tertius septenarius, quartus octonarius, qui duplex est quarti. Atque ita per omnes ceteros hoc reperies quod in prima copula numerorum id est uno et duobus inventum est, ut quotus quisque numerus est ab ipso principio, totus post illum sit duplus eius.

92. Hoc ergo quod per omnes numeros esse immobile firmum incorruptumque conspicimus, unde conspicimus? Non enim ullus ullo sensu corporis omnes numeros attingit, innumerabiles enim sunt. Unde ergo novimus per omnes hoc

deest B

2 non potest *om. e l m* dimidiam *M* habere dimidiam *α* 7 relatus *X* 8 non *om. M α F m 1* 14 secundo *TCA X* 23 duplus *G XL* 24 reperies hoc *Y edd* 28 *alt.* conspicimus] perconspicimus *M* perspicimus *X*

esse, aut qua fantasia vel fantasmate tam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter nisi in luce interiore conspicitur, quam corporalis sensus ignorat?

93. His et talibus multis documentis coguntur fateri, 24.
quibus disputantibus deus donavit ingenium et pertinacia caliginem non obducit, rationem veritatemque numerorum et ad sensus corporis non pertinere et invertibilem sinceramque consistere et omnibus ratiocinantibus ad videndum esse communem. **94.** Quapropter, cum multa alia possint occurrere quae communiter et tamquam publice praesto sunt ratiocinantibus et ab eis videantur mente atque ratione singulorum quorumque cernentium eaque inviolata et incommutabilia maneant, non tamen invitus acceperim quod ista ratio et veritas numeri tibi potissimum occurrit, cum ad id quod interrogaveram respondere voluisses. **95.** Non enim frustra in sanctis libris sapientiae coniunctus est numerus, ubi dictum est: C i r c u i ⟨i⟩ e g o e t c o r m e u m u t s c i r e m e t c o n s i d e r a r e m e t q u a e r e r e m s a p i e n t i a m e t n u m e r u m.

96. Verumtamen, quaeso te, quid de ipsa sapientia putas IX. 2
existimandum? Singulas quasque suas arbitraris singulos quosque homines habere sapientias? an vero una praesto est communiter omnibus, cuius quanto magis quisque fit particeps tanto est sapientior?

97. *E.* Quam dicas sapientiam nondum scio, video quippe varie videri hominibus quid fiat dicaturve sapienter. Nam et qui militant sapienter sibi facere videntur, et qui contempta militia colendo agro curam atque operam inpendunt, hoc potius laudant tribuuntque sapientiae, et qui astuti

17—19 *Eccles. 7, 26

deest B

1 phantasia βRV vel] aut XL phantasmate βRV tam] tamquam $M C \gamma \delta$ 7 invertibilem $M \gamma$ inconvertibilem β investigabilem α invertigibilem δ 10 sint XL 14 occurrerit *edd* 16 sanctis *om. TCA* divinis G 17 circui $M XL$ circuivi $K F$ circumivi *cet.* 22 est *om.* $G RV$ est praesto δ unam praesto esse $l m$

sunt ad excogitandos modos conquirendae pecuniae videntur sibi esse sapientes, et qui haec omnia neglegunt vel abiciunt et quaeque sunt huius modi temporalia et totum studium suum ad investigationem conferunt veritatis ut semet ipsos deumque cognoscant, magnum hoc esse sapientiae munus iudicant; **98.** et qui huic otio quaerendi et contemplandi veri nolunt se dare, sed potius laboriosissimis curis et officiis agunt ut hominibus consulant, et in rerum humanarum iuste moderandarum et gubernandarum actione versantur, sapientes se esse arbitrantur, et qui utrumque horum agunt et partim vivunt in contemplatione veritatis, partim in laboribus officiosis quos humanae societati deberi putant, sibi palmam sapientiae videntur tenere. **99.** Omitto innumerabiles sectas, quarum nulla est quae non sectatores suos praeponens ceteris eos solos velit esse sapientes. Quam ob rem cum id nunc agatur inter nos ut non quid credamus respondendum sit, sed quid dilucida intellegentia teneamus, nullo modo tibi ad id quod interrogasti respondere potero, nisi quod credendo teneo, contemplando etiam et ratione cernendo noverim, quae sit ipsa sapientia.

26. **100.** *A.* Num aliam putas esse sapientiam nisi veritatem in qua cernitur et tenetur summum bonum? Nam illi omnes, quos commemorasti diversa sectantes, bonum adpetunt et malum fugiunt; sed propterea diversa sectantur quod aliud alii videtur bonum. Quisquis ergo adpetit quod adpetendum non erat, tametsi id non adpeteret nisi ei videretur bonum, errat tamen. Errare autem neque ille potest qui nihil adpetit neque ille qui hoc adpetit quod debet adpetere. **101.** In quantum igitur omnes homines adpetunt vitam beatam, non errant; in quantum autem quisque non eam tenet vitae viam quae ducit ad beatitudinem, cum se fateatur et profiteatur

deest B

2 sibi videntur *edd* 7 se dare γ sedere *M* α se dedere β δ 10 se *om. M* γ se sapientes β 13 tenere videntur *Y edd* 17 tibi *om. C* ad id tibi *Y edd*

nolle nisi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat. Error est enim cum sequitur aliquid quod non ad id ducit quo volumus pervenire. **102.** Et quanto magis in via vitae quis errat, tanto minus sapit. Tanto enim magis longe est a veritate, in qua cernitur et tenetur summum bonum. Summo autem bono adsecuto et adepto beatus quisque fit, quod omnes sine controversia volumus. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat esse velle sapientes, quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est nisi summo bono, quod in ea veritate quam sapientiam vocamus cernitur et tenetur. **103.** Sicut ergo antequam beati simus mentibus tamen nostris inpressa est notio beatitatis — per hanc enim scimus fidenterque et sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle —, ita etiam priusquam sapientes simus, sapientiae notionem in mente habemus inpressam, per quam unus quisque nostrum, si interrogetur velitne esse sapiens, sine ulla caligine dubitationis se velle respondet.

104. Quare si iam constat inter nos quae sit sapientia, 27.
quam fortasse verbis explicare non poteras — nam si eam nullo modo animo cerneres, nullo modo scires et velle te esse sapientem et velle debere, quod te negaturum esse non arbitror —, volo iam dicas mihi utrum etiam sapientiam sicut numeri rationem et veritatem omnibus ratiocinantibus communem se praebere arbitreris, an, quoniam tot sunt mentes hominum quot homines sunt, unde nec ego de tua mente aliquid cerno nec tu de mea, tot etiam putes esse sapientias quot potuerunt esse sapientes.

105. *E.* Si summum bonum omnibus unum est, oportet etiam veritatem in qua cernitur et tenetur, id est sapientiam, omnibus unam esse communem.

---

deest B

---

2 est *om.* γ error enim est *G* consequitur *M* γ cum sequimur *G L e l m* 5 bonum quanto minus sapit γ 8 velle esse *e l m* 12 notitio *T A* 14 sapientissimus *M X* 20 te *om.* β et *M C* 24 quomodo sunt tot δ 26 putas *X* 27 potuerint *G X m* poterunt *L*

A. Dubitas autem summum bonum, quicquid illud est, omnibus hominibus unum esse?

E. Dubito sane, quod diversos diversis rebus gaudere video tamquam summis bonis suis.

106. *A.* Vellem quidem, ut de summo bono ita nemo dubitaret, ut nemo dubitat quicquid illud est non nisi eo adepto posse fieri hominem beatum. Sed quoniam magna quaestio est et longum sermonem forte desiderat, putemus omnino tot summa bona esse quot sunt ipsae res diversae quae a diversis tamquam summa bona adpetuntur. Num ideo sequitur ut etiam ipsa sapientia non sit una communis omnibus, quia ea bona quae in illa cernunt et eligunt homines multa et diversa sunt? **107.** Si enim hoc putas, potes et de luce solis dubitare quod una sit, quia multa et diversa sunt quae in ea cernimus. De quibus multis eligit quisque pro voluntate quo fruatur per oculorum sensum; et alius altitudinem montis alicuius libenter intuetur et eo gaudet aspectu, alius campi planitiem, alius convexa vallium, alius nemorum viriditatem, alius mobilem aequalitatem maris, alius haec omnia vel quaedam horum simul plura confert ad laetitiam videndi. **108.** Sicut ergo ista multa et diversa sunt quae in luce solis homines vident et eligunt ad fruendum, lux tamen ipsa una, in qua videt et tenet quo fruatur unius cuiusque intuentis aspectus, ita, etiam si multa sunt bona eaque diversa, e quibus eligat quisque quod volet idque videndo et tenendo ad fruendum summum sibi bonum recte vereque constituat, fieri tamen potest ut lux ipsa sapientiae, in qua haec videri et teneri possunt, omnibus sapientibus sit una communis.

---

deest B

---

3 quoniam *X S* quia *edd* 11 ipsa sapientia etiam *δ edd* 12 quia ea] qui ea *T m 1 C* quia *T m 2* bona *om. L* aut eligunt *TA* 17 intuetur libenter *Y edd* 20 plura] pulchra *α δ* 21 vivendi *δ* 22 seligunt *M F* sibi eligunt *G* 28 sapientibus *β* sapientia *M γ*, *om. α δ a*

109. *E.* Fateor fieri posse nec inpedire aliquid ut non sit omnibus communis una sapientia, etiam si multa et diversa sint summa bona. Sed vellem scire an ita sit. Quod enim concedimus fieri posse ut ita sit, non continuo ita esse concedimus.

A. Tenemus interim esse sapientiam; sed utrum sit communis una omnibus an singuli sapientes suas habeant sicut animas vel mentes suas, hoc nondum tenemus.

E. Ita est.

110. *A.* Quid? hoc quod tenemus vel esse sapientiam vel sapientes et beatos esse omnes homines velle, ubi videmus? Nam hoc te videre et verum esse nullo modo utique dubitaverim. Hoc ergo verum sic vides ut cogitationem tuam, quam si mihi non enunties, ego prorsus ignoro? an ita, ut intellegas et a me videri posse hoc verum, tametsi mihi abs te non dicatur? X. 2

111. *E.* Immo ut abs te quoque, etiam me invito, videri posse non dubitem.

A. Quod ergo unum verum videmus ambo singulis mentibus, nonne utrique nostrum commune est?

E. Manifestissime.

A. Item credo te non negare studendum esse sapientiae atque hoc verum esse concedere.

E. Prorsus non dubito.

112. *A.* Hoc item verum et unum esse et omnibus qui hoc sciunt ad videndum esse commune, quamvis unus quisque id nec mea nec tua nec cuiusquam alterius, sed sua mente conspiciat, cum id quod conspicitur omnibus conspicientibus communiter praesto sit, numquid negare poterimus?

E. Nullo modo.

---

deest B

---

1 sic fieri *X* 3 sunt *C* 6 unam esse *γ* 7 habent *α* 11 omnes *om. γ* 25 verum *om. TCA*

113. *A.* Item iuste esse videndum, deteriora melioribus esse subdenda et paria paribus conparanda et propria suis quibusque tribuenda nonne fateberis esse verissimum et tam mihi quam tibi atque omnibus id videntibus praesto esse communiter?

E. Adsentior.

114. *A.* Quid? incorruptum melius esse corrupto, aeternum temporali, inviolabile violabili poteris negare?

E. Quis potest?

A. Hoc ergo verum potest quisque suum proprium dicere, cum incommutabiliter contemplandum adsit omnibus qui hoc contemplari valent?

E. Nullus hoc vere dixerit suum esse proprium, cum tam sit unum atque omnibus commune quam verum est.

115. *A.* Item a corruptione avertendum animum atque ad incorruptionem convertendum esse, id est non corruptionem sed incorruptionem diligendam esse quis negat? Aut quis, cum verum esse fateatur, non etiam incommutabile intellegat atque omnibus mentibus id valentibus intueri communiter praesto esse videat?

E. Verissimum est.

A. Quid? eam vitam quae nullis adversitatibus de certa et honesta sententia demovetur, dubitavit aliquis esse meliorem quam eam quae facile incommodis temporalibus frangitur atque subvertitur?

E. Quis dubitaverit?

29. **116.** *A.* Iam huius modi plura non quaeram. Satis est enim quod istas tamquam regulas et quaedam lumina virtutum et vera et incommutabilia et sive singula sive omnia communiter adesse ad contemplandum eis qui haec valent sua quisque ratione ac mente conspicere, pariter mecum vides

deest B

1 vivendum *δael* et deteriora *V* 12 volunt *X* 16 non corruptionem sed *om. α* 17 neget *C* 28 enim est *edd* 31 quemque *F m 1 Rouen 476* quique *F m 2 RV*

certissimumque esse concedis. Sed sane quaero utrum haec tibi videantur ad sapientiam pertinere. Nam credo videri tibi eum qui sapientiam adsecutus est esse sapientem.

117. *E.* Videtur omnino.

A. Quid? Ille qui iuste vivit, possetne ita vivere nisi videret quae inferiora quibus potioribus subdat et quae paria sibimet copulet et quae propria suis quibusque distribuat?

E. Non posset.

A. Qui ergo haec videt, num eum negabis sapienter videre?

E. Non nego.

A. Quid? ille qui prudenter vivit, nonne eligit incorruptionem et eam corruptioni praeponendam esse decernet?

E. Manifestissime.

A. Cum ergo id eligit quo convertat animum, quod eligendum esse nemo ambigit, num negari potest sapienter eligere?

E. Nullo modo negaverim.

A. Cum ergo ad id quod sapienter eligit convertit animum, sapienter utique convertit.

E. Certissimum est.

A. Et qui ab eo quod sapienter eligit et quo se sapienter convertit, nullis terroribus poenisque depellitur, sapienter sine dubio facit.

E. Prorsus sine dubio.

118. *A.* Manifestissimum est igitur omnes has quas regulas diximus et lumina virtutum ad sapientiam pertinere, quandoquidem quanto magis quisque ad agendam vitam eis utitur et secundum haec agit vitam, tanto magis vivit facitque sapienter; omne autem quod sapienter fit non potest recte dici a sapientia esse separatum.

---

deest B

---

1 sane] plane *TCA* 5 qui iuste] iniuste *X m 1 Paris. Nouv. Acq. 371 m 1; in utroque autem signum supra* in *scriptum indicat errorem quem X in margine correxit* 9 haec ergo *γ* 22 elegit *M XK* 26 has regulas quas *γ*

E. Omnino ita est.

119. *A.* Quam ergo verae atque incommutabiles sunt regulae numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus praesto esse dixisti, tam sunt verae atque incommutabiles regulae sapientiae, de quibus paucis nunc singillatim interrogatus respondisti esse veras atque manifestas easque omnibus qui haec intueri valent communes ad contemplandum adesse concedis.

30. **120.** *E.* Dubitare non possum. Sed pervellem scire utrum uno aliquo genere contineantur haec duo, sapientia scilicet et numerus, quia coniuncta etiam in scripturis sanctis haec posita esse commemorasti, an alterum existat ab altero aut alterum in altero consistat veluti numerus a sapientia vel in sapientia. **121.** Nam sapientiam existere a numero aut consistere in numero non ausim dicere. Nescio quo enim modo, quia multos novi numerarios aut numeratores vel si quo alio nomine vocandi sunt qui summe atque mirabiliter computant, sapientes autem perpaucos aut forsitan neminem, longe venerabilior mihi occurrit sapientia quam numerus.

122. *A.* Rem dicis quam ego quoque mirari soleo. Nam cum incommutabilem veritatem numerorum mecum ipse considero et eius quasi cubile ac penetrale vel regionem quandam vel si quod aliud nomen aptum inveniri potest quo nominemus quasi habitaculum quoddam sedemque numerorum, longe removeor a corpore. Et inveniens fortasse aliquid quod cogitare possim, non tamen aliquid inveniens quod verbis proferre sufficiam, redeo tamquam lassatus in haec nostra ut loqui possim, et ea quae ante oculos sita sunt dico sicut dici solent. **123.** Hoc mihi accidit etiam cum de

deest B

3 rationum *M m 1* rationim *M m 2* immutabiliter *X* 13 ab altero existat *M X* 16 enim quomodo *V l m* 17 novi multos *V* 23 immutabilem *R V* 31 solet *T C A*

sapientia, quantum valeo, vigilantissime atque intentissime cogito. Et propterea multum miror, cum haec duo sint in secretissima certissimaque veritate, accedente etiam testimonio scripturarum quo commemoravi coniuncte illa posita, plurimum miror, ut dixi, quare numerus vilis sit multitudini hominum et cara sapientia. Sed nimirum illud est, quod una quaedam eademque res est. **124.** Verumtamen, quoniam nihilominus in divinis libris de sapientia dicitur quod adtingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, ea potentia, qua fortiter a fine usque ad finem adtingit, numerus fortasse dicitur, ea vero, qua disponit omnia suaviter, sapientia proprie iam vocatur, cum sit utrumque unius eiusdemque sapientiae.

125. Sed quia dedit numeros omnibus rebus etiam infimis et in fine rerum locatis — et corpora enim omnia, quamvis in rebus extrema sint, habent numeros suos, sapere autem non dedit corporibus neque animis omnibus, sed tantum rationalibus, tamquam in eis sibi sedem locaverit de qua disponat omnia illa etiam infima quibus numeros dedit —, itaque quoniam de corporibus facile iudicamus tamquam de rebus quae infra nos ordinatae sunt, quibus inpressos numeros cernimus, putamus etiam ipsos numeros infra nos esse et eos propterea vilius habemus. **126.** Sed cum coeperimus tamquam sursum versus recurrere, invenimus eos etiam nostras mentes transcendere atque incommutabiles in ipsa manere veritate. Et quia sapere pauci possunt, numerare autem stultis concessum est, mirantur homines sapientiam numerosque contemnunt. Docti autem et studiosi quantum remotiores sunt a labe terrena, tanto magis et numerum et 31.

8—10 *Sap. 8, 1

deest B

3 etiam] autem *X* 4 scripturae *γ* 7 eademque quaedam *L* 8 dicitur de sapientia *V* 11 contingit *V* 14 rebus *om. γ* 22 cernimus—numeros *δ L, om. cet.* 23 esse videmus *γ* esse cernimus *edd* 27 stultis etiam *L* 28 quanto *e l m*

sapientiam in ipsa veritate contuentur et utrumque carum habent; et in eius veritatis conparatione non eis aurum et argentum et cetera de quibus homines dimicant, sed ipsi etiam vilescunt sibi.

32. **127.** Nec mireris numeros ideo viluisse hominibus et caram esse sapientiam quia facilius possunt numerare quam sapere, cum videas carius illos habere aurum quam lumen lucernae, cui conparatum aurum ridetur. Sed honoratur amplius res longe inferior, quia lucernam sibi et mendicus accendit, aurum vero pauci habent; quamquam sapientia absit ut in conparatione numeri inveniatur inferior, cum eadem sit, sed oculum quo id cerni possit inquirat. **128.** Sed quem ad modum in uno igne consubstantialis, ut ita dicam, sentitur fulgor et calor nec separari ab invicem possunt, calor tamen ad ea pervenit quae prope admoventur, fulgor vero etiam longius latiusque diffunditur, sic intellegentiae potentiã quae inest sapientiae propinquiora fervescunt, sicuti sunt animae rationales, ea vero quae remotiora sunt sicuti corpora non adtingit calore sapiendi, sed perfundit lumine numerorum. **129.** Quod tibi fortassis obscurum est, non enim ulla visibilis similitudo invisibili rei potest ad omnem convenientiam coaptari. Tantum illud adtende, quod et quaestioni quam suscepimus satis est et humilioribus etiam mentibus quales sumus sese manifestat, quia, etsi clarum nobis esse non potest utrum in sapientia vel ex sapientia numerus an ipsa sapientia ex numero an in numero sit an utrumque nomen unius rei possit ostendi, illud certe manifestum est utrumque verum esse et incommutabiliter verum.

I. 33. **130.** Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem, haec omnia quae incommutabiliter vera sunt continentem, quam non possis dicere tuam vel meam vel cuius-

---

deest B

---

12 si oculus *e l* quo id] quod *X* quo *α δ e l m* inquirit *δ m* 15 tamen ad ea calor *edd* 17 inest] sunt *γ* sapientia *M TCA* 26 aut in *M FR S* vel in *V*

quam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus tamquam miris modis secretum et publicum lumen praesto esse ac se praebere communiter. **131.** Omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus atque intellegentibus praesto est, ad ullius eorum proprie naturam pertinere quis dixerit? Meministi enim, ut opinor, quid de sensibus corporis paulo ante tractatum sit: ea scilicet quae oculorum vel aurium sensu communiter tangimus, sicuti sunt colores et soni, quos ego et tu simul videmus vel simul audimus, non pertinere ad oculorum nostrorum auriumve naturam, sed ad sentiendum nobis esse communia. **132.** Sic ergo etiam illa quae ego et tu communiter propria quisque mente conspicimus, nequaquam dixeris ad mentis alicuius nostrum pertinere naturam. Duorum enim oculi quod simul vident, nec huius nec illius oculos esse poteris dicere, sed aliquid tertium in quod utriusque conferatur aspectus.

E. Apertissimum atque verissimum est.

133. *A.* Hanc ergo veritatem de qua iam diu loquimur et in qua tam multa conspicimus, excellentiorem putas esse quam mens nostra est an aequalem mentibus nostris an etiam inferiorem? Sed si esset inferior, non secundum illam, sed de illa iudicaremus, sicut iudicamus de corporibus quia infra sunt, et dicimus ea plerumque non tantum ita esse vel non ita, sed ita vel non ita esse debere, sic et de animis nostris non solum ita esse animum novimus, sed plerumque etiam ita esse debere. **134.** Et de corporibus quidem sic iudicamus cum dicimus 'minus candidum est quam debuit' aut 'minus quadrum' et multa similiter; de animis vero 'minus aptus est quam debet' aut 'minus lenis' aut 'minus vehemens', sicut nostrorum morum se ratio tulerit. Et iudicamus haec secundum illas interiores regulas veritatis quas communiter cernimus, de ipsis vero nullo modo quis iudicat. Cum enim quis

34.

deest B

3 se *om.* α 15 utrisque α *S* 28 aptus] apertus *X m 1* asper *X m 2 L* 29 laetus aut minus lenis δ *a e*

dixerit aeterna temporalibus esse potiora aut septem et tria decem esse, nemo dicit ita esse debuisse, sed tantum ita esse cognoscens non examinator corrigit, sed tantum laetatur inventor.

135. Si autem esset aequalis mentibus nostris haec veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostrae aliquando eam minus aliquando eam plus vident et ex hoc fatentur se esse mutabiles, cum illa in se manens nec proficiat cum plus a nobis videtur nec deficiat cum minus, sed integra et incorrupta et conversos laetificet lumine et aversos puniat caecitate. **136.** Quid, quod etiam de ipsis mentibus nostris secundum illam iudicamus, cum de illa nullo modo iudicare possimus? Dicimus enim 'minus intellegit quam debet' aut 'tantum quantum debet intellegit'. Tantum autem mens debet intellegere quantum propius admoveri atque inherere potuerit incommutabili veritati. Quare si nec inferior nec aequalis est, restat ut sit superior atque excellentior.

[I. 35. **137.** Promiseram autem, si meministi, me tibi demonstraturum esse aliquid quod sit nostra mente atque ratione sublimius. Ecce tibi est ipsa veritas: amplectere illam si potes et fruere illa et delectare in domino et dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius quam ut beatus sis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcussa et incommutabili et excellentissima veritate? **138.** An vero clamant homines beatos se esse, cum pulchra corpora magno desiderio concupita sive coniugum sive etiam meretricum amplexantur, et nos in amplexu veritatis beatos esse dubitabimus? Clamant homines se beatos esse cum aestu aridis faucibus ad fontem abundantem salubremque perveniunt aut esurientes prandium cenamve ornatam copiosamque reperiunt,

21—22 Ps. 36, 4

deest B

6 eam minus aliquando *om. M TCA γ* plus] amplius *L* aliq. eam plus vident aliq. minus *G m* 13 quantum habet *X* 18 mente nostra *α Y edd* 26 dubitamus *G V δ edd* 27 se beatos] beatos *F m 1* beatos se *F m 2 R V* 29 caenamve *M*

et nos negabimus beatos esse, cum irrigamur pascimurque veritate? **139.** Solemus audire voces clamantium se beatos, si iaceant in rosa et aliis floribus vel etiam unguentis odoratissimis perfruantur: quid fraglantius, quid iocundius inspiratione veritatis? et dubitamus nos cum ab illa inspiramur dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum et nervorum et tibiarum sibi constituunt, et cum ea sibi desunt se miseros iudicant, cum autem adsunt efferuntur laetitia: et nos cum mentibus nostris sine ullo strepitu, ut ita dicam, canorum et facundum quoddam silentium veritatis inlabitur, aliam beatam vitam quaerimus et tam certa et praesente non fruimur? **140.** Luce auri et argenti, luce gemmarum et aliorum colorum sive ipsius lucis, quae ad hos oculos pertinet sive in ignibus terrenis sive in stellis vel luna vel sole, claritate et iocunditate delectati homines, cum ab ista laetitia nullis molestiis nulla indigentia revocantur, beati sibi videntur et propter haec semper volunt vivere: et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus?

141. Immo vero quoniam in veritate cognoscitur et 36.
tenetur summum bonum eaque veritas sapientia est, cernamus in ea teneamusque summum bonum eoque perfruamur. Beatus est quippe qui fruitur summo bono. Haec enim veritas ostendit omnia bona quae vera sunt, quae sibi suo captu intellegentes homines vel singula vel plura eligunt quibus fruantur. **142.** Sed quem ad modum illi, qui in luce solis eligunt quod libenter aspiciant, et eo aspectu laetificantur — in quibus si qui forte fuerint vegetioribus sanisque et fortissimis oculis praediti, nihil libentius quam ipsum solem contuentur, qui etiam cetera quibus infirmiores oculi delectantur inlustrat —, sic fortis acies mentis et vegeta, cum multa vera

deest B

3 qui si *X* rosis *e l m* 4 flaglantius *C S* fragrantius *R edd* iucundius *M m 2 X* 5 dubitabimus *M* 7 tybiarum *X S* 13 hos *om. α δ a* 17 in luce nos *X* 19 quoniam] quia *γ* 23 pro suo *LK l m* 26 quod] quae *V* laetificant *M TCA* laeti sunt *L* laeti fiant *K* 28 intuentur *G*

et incommutabilia certa ratione conspexerit, diriget in ipsam veritatem qua cuncta monstrantur, eique inherens tamquam obliviscitur cetera et in illa simul omnibus fruitur. Quidquid enim iocundum est in ceteris veris, ipsa utique veritate iocundum est.

37. **143.** Haec est libertas nostra, cum isti subdimur veritati; et ipse est deus noster qui nos liberat a morte, id est a condicione peccati. Ipsa enim veritas etiam homo cum hominibus loquens ait credentibus sibi: Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos. Nulla enim re fruitur anima cum libertate nisi qua fruitur cum securitate.

XIV. **144.** Nemo autem securus est in his bonis quae potest invitus amittere. Veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus. Non enim locis separari ab ea quisquam potest, sed ea, quae dicitur a veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens. **145.** Habemus igitur qua fruamur omnes aequaliter atque communiter; nullae sunt angustiae, nullus in ea defectus. Omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit et omnibus communis est et singulis casta est. Nemo alicui dicit: 'Recede ut etiam ego accedam, remove manus ut etiam ego amplectar.' **146.** Omnes inherent, id ipsum omnes tangunt. Cibus eius nulla ex parte discerpitur; nihil de ipsa bibis quod ego non possim. Non enim ab eius communione in privatum tuum mutas aliquid, sed quod tu de illa capis et mihi integrum manet. Quod te inspirat non expecto, ut reddatur abs te et sic ego inspirer ex eo; non

9—11 *Ioh. 8, 31 sq.

deest B

1 perspexerit *L* diriget *M TCA* (*v. Thes. 1250, 20 sqq.*), se *add. cet. praeter δ* (dirigitur) 4—5 in—est *om. X* 6 veritati *om. X* 23 inhereant *M β* si inhereant *γ* id ipsum] ipsam *Y a e l* 24 tangant *L* 25 ipsa] illa *LK* illa ipsa *X* possim bibere *γ* 27 manet integrum *Y edd*

enim aliquid eius aliquando fit cuiusquam unius aut quorundam proprium, sed simul omnibus tota est communis.

147. Minus ergo ea quae tangimus vel quae gustamus 38.
vel quae olfacimus huic sunt veritati similia, sed magis ea
quae audimus et cernimus, quia et omne verbum a quibus
auditur totum auditur ab omnibus et simul a singulis totum,
et species omnis quae oculis adiacet, quanta videtur ab uno,
tanta et ab alio simul. **148.** Sed multum longo intervallo
sunt ista similia; nec tota enim simul sonat quaelibet vox,
quia per tempora tenditur et producitur et aliud eius prius
sonat aliud posterius, et species omnis visibilis tamquam
intumescit per locos nec ubique tota est. Et certe omnia
haec auferuntur invito, et quominus eis frui possimus quibusdam impedimur angustiis. **149.** Nam et si posset esse
cuiusquam suavis cantus sempiternus et studiosi eius certatim ad eum audiendum venirent, coartarent sese atque
pugnarent de locis, quanto plures essent, ut cantanti esset
quisque propinquior; et in audiendo nihil tenerent manere
secum, sed omnibus vocibus fugientibus tangerentur.
150. Solem autem istum si vellem intueri atque id pertinaciter
possem, et in occasu me desereret et subvelaretur nubilo et
multis aliis obstaculis voluptatem videndi eum invitus amitterem. Postremo etiam si adesset semper suavitas et lucis
videnti et vocis audienti, quid magnum ad me perveniret,
cum mihi esset commune cum beluis?

151. At illa veritatis et sapientiae pulchritudo, tantum
adsit perseverans voluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit venientes nec peragitur tempore nec
migrat locis nec nocte intercipitur nec umbra intercluditur
nec sensibus corporis subiacet. **152.** De toto mundo ad se
conversis qui diligunt eam omnibus proxima est, omnibus
sempiterna, nullo loco est nusquam deest, foris admonet

deest B

1 unius proprium *L* 24 videndi *X γ* audiendi *M γ*

intus docet, cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat nullus sine illa iudicat bene. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris, quae ab ipsa una fiunt singulae sapientes et non de ipsa, sed per ipsam de ceteris iudices, sine dubitatione esse potiorem.

39. **153.** Tu autem concesseras, si quid supra mentes nostras esse monstrarem, deum te esse confessurum, si adhuc nihil esset superius. Quam tuam concessionem accipiens dixeram satis esse ut hoc demonstrarem. Si enim est aliquid excellentius, ille potius deus est; si autem non est, iam ipsa veritas deus est. Sive ergo illud sit sive non sit, deum tamen esse negare non poteris; quae nobis erat ad tractandum et disserendum quaestio constituta. **154.** Nam si te hoc movet quod apud sacrosanctam disciplinam Christi in fidem recepimus, esse patrem sapientiae, memento nos etiam hoc in fidem accepisse, quod aeterno patri aequalis sit quae ab ipso genita est sapientia. Unde nunc nihil quaerendum est, sed inconcussa fide retinendum. Est enim deus et vere summeque est. **155.** Quod iam non solum indubitatum, quantum arbitror, fide retinemus, sed etiam certa, quamvis adhuc tenuissima forma cognitionis adtingimus. Quod quaestioni susceptae sufficit ut cetera quae ad rem pertinent explicare possimus, nisi quid habes adversus ista quae opponas.

156. *E.* Ego vero incredibili omnino et quam tibi verbis explicare non possum laetitia perfusus accipio ista et clamo esse certissima. Clamo autem voce interiore, qua exaudiri cupio ab ipsa veritate et illi inherere, quod non solum bonum. sed etiam summum bonum et beatificum esse concedo.

---

deest B

1—2 cernentes—commutatur *om.* γ 3 bene iudicat *LK* δ 5 iudicat *Fm1 Rouen 476* iudicant *Fm2RV* 8 confessionem *MS* 9 aliquid est *edd* 12 disserendum et tractandum *edd* 16 sit aequalis *Y edd* 19 indubitata *GY* 22 sufficiat γ 23 quae] quod *L elm* 25 possim C perfusus sum *M* 26 quam *X*

157. *A.* Recte sane, etiam ego plurimum gaudeo. Sed, 40.
quaeso te, numquid iam sapientes et beati sumus? an adhuc eo tendimus, ut id nobis esse proveniat?

E. Ego nos potius tendere existimo.

A. Unde ergo ista conprehendis, quibus veris certisque gaudere te clamas et haec ad sapientiam pertinere concedis? an quisquam insipiens potest nosse sapientiam?

E. Quamdiu insipiens est non potest.

158. *A.* Tu ergo iam sapiens es aut nondum nosti sapientiam.

E. Non sum quidem adhuc sapiens, sed nec insipientem me dixerim, in quantum novi sapientiam; quoniam et certa sunt ista quae novi et ad sapientiam pertinere negare non possum.

A. Dic, quaeso te, nonne fateberis eum qui non est iustus iniustum esse, et qui non est prudens inprudentem esse, et qui non est temperans intemperantem? An dubitari de his aliquid potest?

E. Fateor hominem quando iustus non est iniustum esse; hoc etiam de prudente et temperante responderim.

159. *A.* Cur ergo et quando sapiens non est, non sit insipiens?

E. Hoc quoque fateor, quando quisque sapiens non est, eum esse insipientem.

A. Nunc ergo tu quid horum es?

E. Quodlibet horum me appelles, nondum audeo me dicere sapientem et ex his quae concessi video esse consequens ut me insipientem non dubitem dicere.

160. *A.* Novit ergo insipiens sapientiam. Non enim, sicut iam dictum est, certus esset velle se esse sapientem idque oportere, nisi notio sapientiae menti eius inhereret,

---

deest B

---

2 sumus et beati *L* 3 tendimus eo *edd* 4 ego] eo *LK δ* 6 haec] hoc *edd* 24 esse *om. M α* 30 certus esset] certus esses *γ* adeptus es sed *K* se velle *G* velle te *γ* 31 notio] optio *TCA* eius] tibi *γ*

sicut earum rerum de quibus singillatim interrogatus respondisti, quae ad ipsam sapientiam pertinent, quorum cognitione laetatus es.

E. Ita est ut dicis.

I. 41. **161.** *A.* Quid igitur aliud agimus cum studemus esse sapientes, nisi ut quanta possumus alacritate ad id quod mente contingimus totam animam nostram quodam modo colligamus et ponamus ibi atque stabiliter infigamus, ut non iam privato suo gaudeat quod implicavit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus temporum et locorum adfectionibus adprehendat id quod unum atque idem semper est? **162.** Sicut enim tota vita corporis anima est, sic beata vita animae deus est. Quod dum agimus, donec peragamus, in via sumus. Et quod istis veris et certis bonis, quamvis adhuc in hoc tenebroso itinere coruscantibus, gaudere concessum est, vide utrum hoc sit quod scriptum est de sapientia, quid agat cum amatoribus suis cum ad eam veniunt et eam quaerunt. Dictum est enim: In viis ostendet se illis hilariter et omni providentia occurret illis. **163.** Quoquo enim te verteris, vestigiis quibusdam quae operibus suis inpressit loquitur tibi et te in exteriora relabentem ipsis exteriorum formis intro revocat, ut, quidquid te delectat in corpore et per corporeos inlicit sensus, videas esse numerosum et quaeras unde sit et in te ipsum redeas atque intellegas te id quod adtingis sensibus corporis probare aut inprobare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges ad quas referas quaeque pulchra sentis exterius.

42. **164.** Intuere caelum et terram et mare et quaecumque in eis vel desuper fulgent vel deorsum repunt vel volant vel natant. Formas habent quia numeros habent; adime illis

18—19 *Sap. 6, 17

deest B

2 quorum *M K α δ F m 1 Rouen 476 (cf. ad p. 36, 3)*, quarum *cet.* 5 aliud *om. X* 8 coniungamus *X* 12 est anima *edd* 14 hoc *om. L* 15 consensum est *M TA F m 1* 16 de sap. scriptum est *V* 18 ostendit *C L* 22 in] ad *G* 30 quia] quam *M m 1* qua *M m 2* quae *γ*

haec, nihil erunt. A quo ergo sunt nisi a quo numerus? quandoquidem in tantum illis est esse in quantum numerosa esse. **165.** Et omnium quidem formarum corporearum artifices homines in arte habent numeros quibus coaptant opera sua, et tamdiu manus atque instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris ad eam quae intus est lucem numerorum relatum, quantum potest, impetret absolutionem placeatque per interpretem sensum interno iudici supernos numeros intuenti. Quaere deinde artificis ipsius membra quis moveat: numerus erit, nam moventur etiam illa numerose. **166.** Et si detrahas de manibus opus et de animo intentionem fabricandi motusque ille membrorum ad delectationem referatur, saltatio vocabitur. Quaere ergo quid in saltatione delectet: respondebit tibi numerus: 'Ecce sum'; inspice iam pulchritudinem formati corporis: numeri tenentur in loco; inspice pulchritudinem mobilitatis in corpore: numeri versantur in tempore; intra ad artem unde isti procedunt, quaere in ea tempus et locum: numquam erit, nusquam erit, vivit in ea tamen numerus nec eius regio spatiorum est nec aetas dierum. **167.** Et discendae arti tamen cum se accomodant qui se artifices fieri volunt, corpus suum per locos et tempora movent, animum vero per tempora; accessu quippe temporis peritiores fiunt. Transcende ergo et animum artificis, ut numerum sempiternum videas: iam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit et de ipso secretario veritatis. Quae si adhuc languidiorem aspectum tuum reverberat, refer oculum mentis in illam viam ubi ostendebat hilariter. Memento sane distulisse te visionem quam fortior saniorque repetas.

168. Vae qui derelinquunt te ducem et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant et obliviscuntur 43.

deest B

11 *alt.* de *om.* γ 12 si ad γ 16 inspice iam δ 17 ad portam *X* 21 volunt fieri *X* loca *L edd cf.* locos *3, 226* 28 seniorque *FR*

quid innuas, o suavissima lux purgatae mentis sapientia! non enim cessas innuere nobis quae et quanta sis, et nutus tui sunt omne creaturarum decus. Et artifex enim quodam modo innuit spectatori operis sui de ipsa operis pulchritudine, ne ibi totus hereat, sed speciem corporis fabricati sic percurrat oculis, ut in eum qui fabricaverit recurrat affectu. **169.** Similes autem sunt, qui ea quae facis pro te amant, hominibus, qui, cum audiunt aliquem facundum sapientem, dum nimis suavitatem vocis eius et structuras syllabarum apte locatarum avide audiunt, amittunt sententiarum principatum, cuius illa verba tamquam signa sonuerunt. Vae qui se avertunt a lumine tuo et obscuritati suae dulciter inherent! Tamquam enim dorsum ad te ponentes in carnali opera velut in umbra sua defiguntur et tamen etiam ibi quod eos delectat adhuc habent de circumfulgentia lucis tuae. **170.** Sed umbra dum amatur languidiorem facit oculum animi et invalidiorem ad perferendum conspectum tuum. Propterea magis magisque homo tenebratur, dum sectatur libentius quidquid infirmiorem tolerabilius excipit. Ex quo incipit non posse videre quod summe est, et malum putare quicquid fallit inprovidum aut inlicit indiguum aut captum excruciat, cum ea pro merito patiatur aversionis suae et quicquid iustum est malum esse non possit.

44. **171.** Si ergo, quicquid mutabile aspexeris, vel sensu corporis vel animi consideratione capere non potes, nisi aliqua numerorum forma teneatur, qua detracta in nihil recidat, noli dubitare, ut ista mutabilia non intercipiantur, sed dimensis motibus et distincta varietate formarum quasi quosdam versus temporum peragant, esse aliquam formam

---

deest B

---

1 o *om.* *X* 5 inhereat *L* 6 oculis—recurrat *om.* *FR* fabricaverat *C β* 7—8 hominibus *ante pr.* qui *habent edd* 9 instructuras *X* 12 a] de *X* 14 defigunt *X* delectet *γ X* 18 infirmius et tol. *G* 20 summum *Y* 21 indiguum *β* indignum *M G F S a e* indigum *T C A R V Y l m* 27 dimensibus *T C A*

aeternam et incommutabilem, quae neque contineatur et quasi diffundatur locis neque protendatur atque varietur temporibus, per quam cuncta ista formari valeant et pro suo genere implere atque agere locorum ac temporum numeros.

172. Omnis enim res mutabilis etiam formabilis sit XVII necesse est. Sicut autem mutabile dicimus quod mutari potest, ita formabile quod formari potest appellaverim. Nulla autem res formare se ipsam potest, quia nulla res potest dare quod non habet, et utique ut habeat formam formatur aliquid. Quapropter quaelibet res si quam habet formam, non ei opus est accipere quod habet; si qua vero formam non habet, non potest a se accipere quod non habet. Nulla ergo res, ut diximus, formare se potest. **173.** Quid autem amplius de mutabilitate corporis et animi dicamus? superius enim satis dictum est. Conficitur itaque, ut corpus et animus forma quadam incommutabili et semper manente formentur. Cui formae dictum est: M u t a b i s ę a e t m u t a b u n t u r ; t u a u t e m i d e m e s e t a n n i t u i n o n d e f i c i e n t. Annos sine defectu pro aeternitate posuit prophetica locutio. De hac item forma dictum est quod i n s e i p s a m a n e n s i n n o v e t o m n i a. **174.** Hinc etiam conprehenditur omnia providentiā gubernari. Si enim omnia, quae sunt, forma penitus subtracta nulla erunt, forma ipsa incommutabilis per quam mutabilia cuncta subsistunt, ut formarum suarum numeris impleantur et agantur, ipsa est eorum providentia. Non enim ista essent si illa non esset. Intuitus ergo et considerans universam creaturam quicumque iter agit ad sapientiam, sentit sapientiam in via se sibi ostendere hilariter et in omni providentia occurrere sibi. Et tanto alacrius ardescit

17—18 *Ps. 101, 27 20—21 *Sap. 7, 27 28 Sap 6,17 (78,27)

deest B

8 dare sibi α δ *edd* 11 non habet formam *edd* 15 ut et *LK* γ *l m* a forma *L* 16 manenti *X* 18 idem ipse α *L* δ *ex Vulg.* ipse *om. M XK* γ 23 paenitus *M T X F* poenitus *R* 26 ista] ita *M* intuens γ *l m*

viam istam peragere quanto et ipsa via per illam pulchra est ad quam exaestuat pervenire.

46. **175.** Tu autem si praeter id quod est et non vivit, et id quod est et vivit neque intellegit, et id quod est et vivit et intellegit inveneris aliquod aliud creaturarum genus, tunc aude dicere aliquod bonum esse quod non sit ex deo. Tria enim haec duobus etiam nominibus enuntiari possunt, si appellentur corpus et vita, quia et illa quae tantum vivit neque intellegit, qualis est pecorum, et haec quae intellegit, sicuti est hominum, rectissime vita dicitur. **176.** Haec autem duo, id est corpus et vita, quae quidem creaturae deputantur — nam et creatoris ipsius vita dicitur et ea summa vita est —, istae igitur duae creaturae, corpus et vita, quoniam formabilia sunt, sicuti superius dicta docuerunt, amissaque omnino forma in nihilum recidunt, satis ostendunt ex illa forma subsistere quae semper eius modi est. Quam ob rem quantacumque bona quamvis magna quamvis minima nisi ex deo esse non possunt. **177.** Quid enim maius in creaturis quam vita intellegens aut quid minus potest esse quam corpus? Quae quantumlibet deficiant et eo tendant ut non sint, tamen aliquid formae illis remanet ut quoquo modo sint. Quicquid autem formae cuipiam rei deficienti remanet, ex illa forma est quae nescit deficere motusque ipsos rerum deficientium vel proficientium excedere numerorum suorum leges non sinit. Quicquid igitur laudabile advertitur in rerum natura, sive exigua sive ampla laude dignum iudicetur, ad excellentissimam et ineffabilem laudem referendum est conditoris — nisi quid habes ad haec.

VIII. 47. **178.** *E.* Satis mihi persuasum esse fateor, et quem ad modum manifestum fiat, quantum in hac vita atque inter

---

deest B

---

3 sed non $\alpha\,\delta\,a\,e$ 11 deputatur $\alpha\,XK$ 13 id est corpus *V* 15 decidunt *L* 16 subsistere $M\,\alpha\,\gamma$, se subs. $G\,XL\,\delta$ (*de* se *omisso v. Hofmann, Lat. Gramm.*[5] *§ 175 b*) 19 esse potest *X* 28 nisi *om.* γ 30 est fiat *XL*

tales quales nos sumus potest, deum esse, et ex deo esse omnia bona, quandoquidem omnia quae sunt, sive quae intellegunt et vivunt et sunt sive quae tantum vivunt et sunt sive quae tantum sunt, ex deo sunt. Nunc iam tertiam quaestionem videamus, utrum expediri possit: inter bona esse numerandam liberam voluntatem. Quo demonstrato sine dubitatione concedam deum dedisse nobis eam darique oportuisse.

179. *A.* Bene meministi proposita et secundam quaestionem iam explicatam vigilanter animadvertisti. Sed videre debuisti etiam istam tertiam iam solutam. Propterea quippe tibi videri dixeras dari non debuisse liberum voluntatis arbitrium, quod eo quisque peccat. Cui sententiae tuae cum ego retulissem recte fieri non posse nisi eodem libero voluntatis arbitrio, atque ad id potius hoc deum dedisse adseverarem, respondisti liberam voluntatem ita nobis dari debuisse ut iustitia data est, qua nemo uti nisi recte potest. **180.** Quae responsio tua in tantos circuitus disputationis nos ire conpulit, quibus tibi probaremus et maiora et minora bona non esse nisi ex deo. Quod non tam dilucide ostendi posset, nisi prius adversus opiniones inpiae stultitiae qua dicit insipiens in corde suo: non est deus, qualiscumque de re tanta pro nostro modulo inita ratio, eodem ipso deo in tam periculoso itinere nobis opitulante, in aliquid manifestum intenderetur. **181.** Quae duo tamen, id est deum esse et omnia bona ex ipso esse, quamquam inconcussa fide etiam antea tenerentur, sic tamen tractata sunt, ut hoc quoque tertium, inter bona esse numerandam liberam voluntatem, manifestissime appareat. **182.** Iam enim superiore disputatione patefactum est 48.

12—13 cf. Retract. 1, 8, 3 20—21 Ps. 13, 1; 52, 1

deest B

1 et ex deo esse *om. X* 2—3 sive quae tantum vivunt et sunt *om. M X F* sive quae non intellegunt sed t. v. et sunt *R V* 12 cui] cuius *α F m 1* qui *X* tulissem *α* intulissem *edd* 16 nisi recte pot est uti *edd* 21—22 modulo nostro *edd* 23 intenderent *X* 27 numerandum *T C A X δ a e*

constititque inter nos naturam corporis inferiore gradu esse quam animi naturam ac per hoc animum maius bonum esse quam corpus. Si ergo in corporis bonis invenimus aliqua quibus non recte uti homo possit, nec tamen propterea dicimus non ea dari debuisse, quoniam esse confitemur bona, quid mirum, si et in animo sunt quaedam bona quibus etiam non recte uti possimus, sed quia bona sunt non potuerunt dari nisi ab illo a quo sunt omnia bona? **183.** Vides enim quantum boni desit corpori cui desunt manus, et tamen manibus male utitur qui eis operatur vel saeva vel turpia. Sine pedibus aliquem si aspiceres, fatereris deesse integritati corporis plurimum bonum, et tamen eum, qui ad nocendum cuipiam vel se ipsum dehonestandum pedibus uteretur, male uti pedibus non negares. **184.** Oculis hanc lucem videmus formasque internoscimus corporum; idque et speciosissimum est in nostro corpore, unde in fastigio quodam dignitatis haec membra locata sunt, et ad salutem tuendam multaque alia vitae commoda refert usus oculorum. Oculis tamen plerique pleraque agunt turpiter et eos militare cogunt libidini; et vides quantum bonum desit in facie si oculi desint. Cum autem adsunt, quis hos dedit nisi bonorum omnium largitor deus?

185. Quem ad modum ergo ista probas in corpore et non intuens eos qui male his utuntur laudas illum qui haec dedit bona, sic liberam voluntatem, sine qua nemo potest recte vivere, oportet et bonum et divinitus datam et potius eos damnandos, qui hoc bono male utuntur quam eum qui dederit, dare non debuisse fatearis.

49. **186.** *E.* Prius ergo vellem, ut mihi probares aliquid bonum esse liberam voluntatem, et ego concederem deum illam dedisse nobis, quia fateor ex deo esse omnia bona.

187. *A.* Itane tandem non probavi tanto molimine supe-

---

deest B

---

5 confitebitur *TCA* 8 bona *om.* *α* 18 refertur *G K γ* 20 assunt *LK RV* 23 illum] eum *L* 28 mihi *om.* *X* aliquid *M TA γ* aliquod *cet.* 30 omnia bona esse *edd* 31 probavi tibi *V l m*

rioris disputationis, cum omnem speciem formamque corporis a summa omnium rerum forma id est a veritate subsistere fatereris et bonum esse concederes? Nam et capillos nostros numeratos esse ipsa in evangelio veritas loquitur. De numeri autem summitate atque a fine usque ad finem pertendente potentia quae locuti sumus excidit tibi? **188.** Quae igitur ista est tanta perversitas, capillos nostros quamvis inter exigua et omnino abiectissima tamen inter bona numerare nec invenire, cui auctori tribuantur nisi bonorum omnium conditori deo, quia et maxima et minima bona ab illo sunt a quo est omne bonum, et dubitare de libera voluntate, sine qua recte vivi non posse concedunt etiam qui pessime vivunt? **189.** Et certe nunc responde, quaeso, quid esse melius videatur in nobis, sine quo recte vivi potest an sine quo recte vivi non potest?

E. Iam iam parce, quaeso, pudet caecitatis. Quis enim ambigat id longe esse praestantius sine quo recta vita nulla est?

A. Iam ergo tu negabis luscum hominem recte posse vivere?

E. Absit tam inmanis amentia.

A. Cum ergo in corpore oculum concedas esse aliquod bonum, quo amisso tamen ad recte vivendum non impeditur, voluntas libera tibi videbitur nullum bonum, sine qua recte nemo vivit?

190. Intueris enim iustitiam, qua nemo male utitur. Haec 50. inter summa bona, quae in ipso sunt homine, numeratur omnesque virtutes animi, quibus ipsa recta vita et honesta constat. Nam neque prudentia neque fortitudine neque temperantia male quis utitur; etiam in his enim omnibus, sicut in ipsa quam tu commemorasti iustitia, recta ratio viget, sine

---

3—4 cf. Matth. 10, 30 5 Sap 8,1

deest B

4 loquitur veritas *X edd* 5 atque] et *edd, om.* $\alpha\gamma$ ad] in *L* 6 est ista *L* 13 melius esse *edd* 18 vivere posse *M S* 20 oculum in corpore *K Y* in corporum oculum *M TCA* 22 nullum videbitur *L* 26 recta et honesta vita *L* 28 etiam *ante* quis *habet* δ, *post* ipsa *edd*

qua virtutes esse non possunt. Recta autem ratione male uti nemo potest.

IX. **191.** Ista ergo magna bona sunt. Sed meminisse te oportet non solum magna sed etiam minima bona non esse posse nisi ab illo a quo sunt omnia bona, hoc est deo. Id enim superior disputatio persuasit cui totiens tamque laetus adsensus es. Virtutes igitur quibus recte vivitur magna bona sunt; species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt; potentiae vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. **192.** Virtutibus nemo male utitur; ceteris autem bonis, id est mediis et minimis, non solum bene sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur quia opus virtutis est bonus usus istorum quibus etiam non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis dei non solum magna sed etiam media et minima bona esse praestitit. Magis laudanda est bonitas eius in magnis quam in mediis et magis in mediis quam in minimis bonis, sed magis in omnibus quam si non omnia tribuisset.

51. **193.** *E.* Adsentior. Sed illud me movet, quoniam de libera voluntate quaestio est et videmus ipsam bene uti ceteris vel non bene, quo modo et ipsa inter illa quibus utimur numeranda sit.

194. *A.* Quo modo omnia, quae ad scientiam cognoscimus, ratione cognoscimus, et tamen etiam ipsa ratio inter illa numeratur quae ratione cognoscimus. An oblitus es, cum quaereremus quae ratione cognoscantur, confessum te fuisse etiam rationem ratione cognosci? **195.** Noli ergo mirari, si ceteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam uti nos posse, ut quodam modo se ipsa utatur voluntas quae utitur ceteris, sicut se ipsam cog-

---

4—5 cf. Retract. 1, 8, 4 7—19 cf. Retract. 1, 8, 4

---

deest B

---

13 virtutis opus *L* 21 ipsa *M K F* 27 qua *XL*

noscit ratio quae cognoscit et cetera. Nam et memoria non solum cetera omnia quae meminimus comprehendit, sed etiam quod non obliviscimur nos habere memoriam, ipsa se memoria quodam modo tenet in nobis, quae non solum aliorum sed etiam sui meminit; vel potius nos et cetera et ipsam per ipsam meminimus.

196. Voluntas ergo, quae medium bonum est, cum in- 52.
heret incommutabili bono eique communi, non proprio, sicuti est illa de qua multum locuti sumus et nihil digne diximus veritas, tenet homo vitam beatam; eaque ipsa vita beata, id est animi adfectio inherentis incommutabili bono, proprium et primum est hominis bonum. In eo sunt etiam virtutes omnes, quibus male uti nemo potest. **197.** Nam haec quamvis magna in homine et prima sint, propria tamen esse unius cuiusque hominis, non communia satis intellegitur. Veritate enim atque sapientia, quae communis est omnibus, omnes sapientes et beati fiunt inherendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus, quia et cum eum imitatur ut sit, inde adpetit beatus fieri unde illum factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate. **198.** Neque prudentia cuiusquam fit prudens alius aut fortis fortitudine aut temperans temperantia aut iustus iustitia hominis alterius quisquam efficitur, sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum quae incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus et ille coaptavit et fixit animum quem virtutibus praeditum sibi ad imitandum proposuit.

199. Voluntas ergo adherens communi atque incommu- 53.
tabili bono impetrat prima et magna hominis bona, cum ipsa sit medium quoddam bonum. Voluntas autem aversa ab incommutabili et communi bono et conversa ad proprium bonum aut ad exterius aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, cum suae potestatis vult esse, ad exterius, cum

---

deest B

10 beatam vìtam *edd*

aliorum propria vel quaecumque ad se non pertinent cognoscere studet, ad inferius cum voluptatem corporis diligit. **200.** Atque ita homo superbus et curiosus et lascivus effectus excipitur ab alia vita, quae in comparatione superioris vitae mors est; quae tamen regitur administratione divinae providentiae, quae congruis sedibus ordinat omnia et pro meritis sua cuique distribuit. Ita fit ut neque illa bona quae a peccantibus adpetuntur ullo modo mala sint neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam esse comperimus, sed malum sit aversio eius ab incommutabili bono et conversio ad mutabilia bona; quae tamen aversio atque conversio quoniam non cogitur, sed est voluntaria, digna et iusta eam miseriae poena subsequitur.

XX. 54. **201.** Sed tu fortasse quaesiturus es, quoniam movetur voluntas cum se avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, unde iste motus existat. Qui profecto malus est, tametsi voluntas libera, quia sine illa nec recte vivi potest, in bonis numeranda sit. Si enim motus iste, id est aversio voluntatis a domino deo, sine dubitatione peccatum est, num possumus auctorem peccati deum dicere? **202.** Non erit ergo iste motus ex deo. Unde igitur erit? Ita quaerenti tibi si respondeam nescire me, fortasse eris tristior, sed tamen vera responderim. Sciri enim non potest quod nihil est. Tu tantum pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti vel intellegenti vel quoquo modo cogitanti occurrat quod non sit ex deo. **203.** Ita enim nulla natura occurrit quae non sit ex deo. Omnem quippe rem, ubi mensuram et numerum et ordinem videris, deo artifici tribuere ne cuncteris. Unde autem ista penitus detraxeris, nihil omnino remanebit,

---

23—26 cf. Retract. 1, 8, 4

---

deest B

---

4 vitae *om. L* 10 immutabili *Y* 15 ad commutabile *β* 16 unde] unde est *M* unde ei *α Y edd* 19 num] et non *XL* non autem *K* 20 ergo *om. XL* 21 ita] ista *X* itaque *S* tibi *om. X γ* 27 et *om. X* artifice *M* 29 nihil] nil *X*

quia etsi remanserit aliqua formae alicuius inchoatio, ubi neque mensuram neque numerum neque ordinem invenias — quia ubicumque ista sunt forma perfecta est —, oportet auferas etiam ipsam inchoationem formae, quae tamquam materies ad perficiendum subiacere videtur artifici. Si enim formae perfectio bonum est, nonnullum iam bonum est et formae inchoatio. **204.** Ita detracto penitus omni bono non quidem nonnihil, sed nihil omnino remanebit. Omne autem bonum ex deo, nulla ergo natura est quae non sit ex deo. Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat, et ad deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius in nostra est positus potestate. Si enim times illum, oportet ut nolis; si autem nolis, non erit. **205.** Quid ergo securius quam esse in ea vita ubi non possit tibi evenire quod non vis? Sed quoniam non sicut sponte homo cecidit ita etiam surgere potest, porrectam nobis desuper dexteram dei, id est dominum nostrum Iesum Christum, firma fide teneamus et exspectemus certa spe et caritate ardenti desideremus. Si quid autem de origine peccati diligentius quaerendum adhuc putas, in aliam disputationem differendum est.

206. *E.* Sequor sane voluntatem tuam ut in tempus aliud quod hinc moverit differamus. Nam illud tibi non concesserim, ut satis iam inde quaesitum putes.

16—20 cf. Retract. 1, 8, 4

deest B

8 non quidem nonnihil γ nihil *M XK* non aliquid *L* non quidem nonnihil sed *om.* $\alpha\ \delta\ a\ e$ sed omnino nihil *V l m* 10 quod] quem *X* 12 vide ergo quo ille *X* ne] non $\delta\ F\ m\ l\ a\ e$ 17 non *post* surgere *habet X* homo sponte *edd* 19 fide firma *V l m*

LIBER TERTIUS

I. 1. **1.** *E.* Quoniam satis mihi manifestatum est inter bona et ea quidem non minima numerandam esse liberam voluntatem, ex quo etiam fateri cogimur eam divinitus datam esse darique oportuisse, iam si oportunum existimas cupio per te cognoscere unde ille motus existat quo ipsa voluntas avertitur a communi atque incommutabili bono et ad propria vel aliena vel infima atque omnia commutabilia bona convertitur.

2. *A.* Quid enim opus est hoc scire?

E. Quia si ita data est ut naturalem habeat istum motum, iam necessitate ad haec convertitur, neque ulla culpa deprehendi potest ubi natura necessitasque dominatur.

A. Placetne tibi iste motus an displicet?

E. Displicet.

A. Reprehendis ergo eum.

E. Utique reprehendo.

A. Reprehendis igitur animi motum inculpabilem.

E. Inculpabilem animi motum non reprehendo, sed nescio an ulla culpa sit relicto incommutabili bono ad commutabilia converti.

A. Reprehendis ergo quod nescis.

E. Noli verbo premere; ita enim dixi 'nescio an ulla culpa sit', ut intellegi voluerim sine dubio culpam esse. Nam

---

deest B

---

1 quoniam *om. X* manifestum *TCA XL V S* 4 si oport. existimas] oportunum existimans *α δ* 7 infirma *X* omnia] omnino *F m 2 RV* convertitur bona *Y edd* 11 dominantur *X* 17 inculpabilem *om. M γ* 18 ulla] nulla *M m 2 β et ita infra* 21 relicto incommutabilia conv. *M m 1 TCA* relicto incommutabili* adcomubilia (*mg*) conv. *M m 2* rel. inc. ad mutabilia conv. *Y*

hoc verbo quod dixi 'nescio', satis profecto inrisi dubitationem de re manifesta.

3. *A.* Vide quid sit certissima veritas, quae te coegit tam cito oblivisci quod paulo ante dixisti. Si enim natura vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest. Tu vero esse culpabilem ita firmissime tenes ut dubitationem de hac re tam certa etiam inridendam putaveris. Cur ergo tibi vel adfirmandum vel certe cum aliqua dubitatione dicendum visum est, quod perspicue falsum esse ipse convincis? **4.** Dixisti enim: Si ita data est voluntas libera ut naturalem habeat istum motum, iam necessitate ad haec convertitur, neque ulla culpa deprehendi potest ubi natura necessitasque dominatur. Nullo modo autem dubitare debuisti non esse ita datam, quando istum motum culpabilem esse non dubitas.

5. *E.* Ego ipsum motum culpabilem dixi et ideo mihi displicere, et reprehendendum esse dubitare non possum. Animam vero quae isto motu ab incommutabili bono ad commutabilia detrahitur nego esse culpandam, si eius natura talis est ut eo necessario moveatur.

6. *A.* Cuius est iste motus quem profecto culpandum esse 2.
concedis?

E. Iam animo eum video, sed cuius sit nescio.

A. Numquid negas eo motu animum moveri?

E. Non nego.

A. Negas ergo motum, quo movetur lapis, motum esse lapidis? Neque enim illum dico motum quo eum nos movemus vel aliqua vi aliena movetur, veluti cum in caelum iacitur, sed eo quo ad terram nutu suo vergit et cadit.

7. *E.* Non equidem nego motum, quo ita ut dicis in-

---

deest B

---

3 manifesta et certissima *L* 6 culpabilem *om. TCA* 12 apprehendi *α* 18 bono *om. G* 19 natura talis] naturalis *M α* 21 culpandum] culpam *M m 1 α XK* culpabilem *L* 23 iam (*i. quidem, v. Thes. 127, 60 sqq.*)] in *G β edd* 30 lapis inclinatur *L*

clinatur et ima petit, motum esse lapidis, sed naturalem. Si autem hoc modo etiam illum motum habet anima, profecto etiam ipse naturalis est, nec ex eo quod naturaliter movetur recte vituperari potest, quia etiam si ad perniciem movetur, naturae suae tamen necessitate compellitur. Porro quia istum motum non dubitamus esse culpabilem, omnimodo negandum est esse naturalem, et ideo non est similis illi motui quo naturaliter movetur lapis.

8. *A.* Egimusne aliquid superioribus duabus disputationibus?

E. Egimus sane.

A. Credo ergo meminisse te in prima disputatione satis esse compertum nulla re fieri mentem servam libidinis nisi propria voluntate; nam neque a superiore neque ab aequali eam posse ad hoc dedecus cogi, quia iniustum est, neque ab inferiore, quia non potest. **9.** Restat igitur ut eius sit proprius iste motus quo fruendi voluntatem ad creaturam a creatore convertit. Qui motus si culpae deputatur — unde qui dubitat inrisione dignus tibi visus est —, non est utique naturalis, sed voluntarius, in eoque similis est illi motui quo deorsum versus lapis fertur, quod sicut iste proprius est lapidis sic ille animi; verum tamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum quo fertur inferius, animus vero dum non vult non ita movetur ut superioribus desertis inferiora diligat. **10.** Et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius. Hinc est quod lapidem si quis dicat peccare quod pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior sed profecto demens iudicatur; animum vero peccati arguimus cum eum convincimus superioribus desertis ad fruendum inferiora praeponere. **11.** Propterea quid opus est quaerere unde iste motus existat

31—92, 6 cf. Retract. 1, 8, 3

deest B

4 perniciem] perditionem *Y* 5 tamen suae *Y edd* 17 fruendo *F m 2 RV* 21 versus *om. C* est iste pr. *L* 25 deligat *M K FR edd*

quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cum eum non nisi animi et voluntarium et ob hoc culpabilem esse fateamur omnisque de hac re disciplina utilis ad id valeat, ut eo motu improbato atque cohibito voluntatem nostram ad fruendum sempiterno bono a lapsu temporalium convertamus?

12. *E.* Videe et quodam modo tango ac teneo vera esse 3. quae dicis. Non enim quicquam tam firme atque intime sentio quam me habere voluntatem eaque me moveri ad aliquid fruendum; quid autem meum dicam prorsus non invenio si voluntas qua volo et nolo non est mea. Quapropter cui tribuendum est si quid per illam male facio nisi mihi? Cum enim bonus deus me fecerit nec bene aliquid faciam nisi per voluntatem, ad hoc potius datam esse a bono deo satis apparet. **13.** Motus autem quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, neque laudandus cum ad superiora neque culpandus homo esset cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis; neque omnino monendus esset ut istis neglectis aeterna vellet adipisci atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est.

14. Quae cum ita sint ineffabiliter me movet quo modo II. 4 fieri possit ut et deus praescius sit omnium futurorum et nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter evenire aliquid posse quam deus ante praescivit, praescientiam dei destruere insanissima impietate molitur. **15.** Quapropter, si praescivit deus peccaturum esse bonum hominem — quod necesse est concedat mihi quisquis mecum omnium futurorum praescium fatetur deum —, si ergo ita est, non dico non eum faceret — bonum enim fecit nec obesse quicquam deo posset

---

deest B

---

3 fateatur *M F m 1* 7 ac] et *Y l m* 16 positus] potius *M TCA δ F m 1* 26 posse aliquid *Y edd* 27 bonum *M γ* primum *cet.* 29 esse concedit *X*

peccatum eius quem bonum ipse fecit, immo in quo faciendo bonitatem suam ostenderat, ostendit etiam in puniendo iustitiam et liberando misericordiam —, non itaque dico, non eum faceret, sed hoc dico, quoniam peccaturum esse praesciverat, necesse erat id fieri quod futurum esse praesciebat deus. Quo modo est igitur voluntas libera ubi tam inevitabilis apparet necessitas?

5. **16.** *A.* Pulsasti vehementer misericordiam dei. Adsit aperiatque pulsantibus. Verumtamen maximam partem hominum ista quaestione torqueri non ob aliud crediderim nisi quia non pie quaerunt velocioresque sunt ad excusationem quam ad confessionem peccatorum suorum. **17.** Aut enim nullam divinam providentiam praeesse rebus humanis libenter opinantur, dumque fortuitis committunt casibus et animos et corpora sua, tradunt se feriendos et dilaniandos libidinibus, divina iudicia negantes, humana fallentes, eos a quibus accusantur fortunae patrocinio propulsare se putant, quam tamen caecam effingere ac pingere consuerunt, ut aut meliores eā sint a qua se regi arbitrantur, aut se quoque cum eadem caecitate et sentire ista fateantur et dicere. Nec enim talibus absurde etiam conceditur casibus eos agere omnia, quando agendo cadunt. Sed adversus hanc opinionem plenam stultissimi et dementissimi erroris satis, ut arbitror, secunda nostra sermocinatione dissertum est. **18.** Alii vero quamquam negare non audeant praesidere humanae vitae providentiam dei, malunt tamen eam vel infirmam vel iniustam vel malam nefario errore credere quam sua peccata pietate supplici confiteri. **19.** Qui omnes si persuaderi sibi paterentur ut, cum de optimo et iustissimo et potentissimo cogitant, bonitatem et iustitiam et potentiam dei longe maiorem superioremque esse crederent quam quicquid cogitatione concipiunt, consideran-

---

deest B

---

3 in liberando *β e l m* 8 misericordia *Y a e m* 12 aut] alii *γ δ m* 15 tradunt se] tradentes se *G* traduntque se *RV* ferendos *M m 1 α K* 18 consueverunt *S edd* 23 et] ac *V l m* 31 quicquid] quod *α*

tesque semet ipsos gratias deo se debere intellegerent, etiam si aliquid inferius eos voluisset esse quam sunt, omnibusque ossibus et medullis conscientiae suae clamarent: Ego dixi, domine, miserere mei, cura animam meam, quoniam peccavi tibi, ita certis itineribus divinae misericordiae in sapientiam ducerentur, ut neque inventis rebus inflati neque non inventis turbulenti et cognoscendo instructiores fierent ad videndum et ad quaerendum ignorando mitiores. **20.** Tibi vero cui hoc iam persuasum esse non dubito, vide quam facile de tam magna quaestione respondeam, cum prior interroganti pauca responderis.

21. Certe enim hoc te movet et hoc miraris, quo modo III. (
non sint contraria et repugnantia, ut et deus praescius sit omnium futurorum et nos non necessitate, sed voluntate peccemus. Si enim praescius est deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est ut peccet; si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius inevitabilis et fixa necessitas. **22.** Qua ratiocinatione hoc videlicet ne conficiatur times, ut aut deus futurorum omnium praescius impie negetur aut, si hoc negare non possumus, fateamur non voluntate sed necessitate peccari. An aliquid aliud te movet?

E. Nihil interim aliud.

A. Res ergo universas quarum deus est praescius non voluntate sed necessitate fieri putas.

E. Omnino ita puto.

23. *A.* Expergiscere tandem teque ipsum paululum intuere et dic mihi, si potes, qualem sis habiturus cras voluntatem, utrum peccandi an recte faciendi.

E. Nescio.

3—5 *Ps. 40, 5 cf. Conf. 4, 3, 4

---

deest B

---

2 aliquo *XL* 4 cura] sana *Rouen 476 ex Vulg.* 5 quoniam] quia *G γ Y* 8 vivendum *K FR a e l* 9 iam hoc *edd* 21 peccare *G γ*

A. Quid? deum itidem nescire hoc putas?

E. Nullo modo id putaverim.

A. Si ergo voluntatem tuam crastinam novit et omnium hominum, sive qui sunt sive qui futuri sunt, et futuras praevidet voluntates, multo magis praevidet quid de iustis impiisque facturus sit.

E. Prorsus si meorum operum praescium deum dico, multo fidentius eum dixerim praescire opera sua et quid sit facturus certissime praevidere.

24. *A.* Nonne igitur caves ne tibi dicatur etiam ipsum quaecumque facturus est non voluntate sed necessitate facturum, si omnia quorum praescius deus est necessitate fiunt, non voluntate?

E. Ego cum dicerem necessitate universa fieri quae deus futura praescivit, ea sola intuebar quae in creatura eius fiunt, non autem quae in ipso. Non enim ea fiunt, sed sunt sempiterna.

A. Nihil ergo in sua creatura operatur deus.

25. *E.* Iam semel statuit quem ad modum feratur ordo eius universitatis quam condidit; neque enim aliquid nova voluntate administrat.

A. Numquid neminem beatum facit?

E. Facit vero.

A. Tunc utique facit quando ille fit.

E. Ita est.

A. Si igitur verbi gratia post annum beatus futurus es, post annum te beatum facturus est.

E. Etiam.

A. Iam ergo praescit hodie quod post annum facturus est.

E. Semper hoc praescivit; nunc quoque hoc eum praescire consentio, si est ita futurum.

---

deest B

---

4 hominum *om.* α et *om.* α *L V Y* 11 quemcumque *XL* 12 deus praescius *Y edd* 16 non—fiunt *om. X* enim *om. M K FR*

26. *A.* Dic, quaeso, num tu creatura eius non es aut tua beatitudo non in te fiet? 7.

E. Immo et creatura eius sum et in me fiet quod beatus ero.

A. Non ergo voluntáte, sed necessitate in te fiet beatitudo tua deo faciente.

E. Voluntas illius mihi est necessitas.

A. Tu itaque invitus beatus eris.

E. Mihi si esset potestas ut essem beatus, iam profecto essem. Volo enim etiam nunc et non sum, quia non ego sed ille me beatum facit.

27. *A.* Optime de te veritas clamat. Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo mox ut volumus praesto est. Et ideo recte possumus dicere: 'non voluntate senescimus, sed necessitate' aut: 'non voluntate infirmamur, sed necessitate' aut: 'non voluntate morimur, sed necessitate' et si quid aliud huius modi; 'non voluntate autem volumus' quis vel delirus audeat dicere? **28.** Quam ob rem, quamvis praesciat deus nostras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur, ut non voluntate aliquid velimus. Nam et de beatitudine quod dixisti, non abs te ipso beatum fieri, ita dixisti quasi hoc ego negaverim; sed dico, cum futurus es beatus non te invitum, sed volentem futurum. Cum igitur praescius sit deus futurae beatitudinis tuae — nec aliter

---

12—16 cf. Retract. 1, 8, 3

---

deest B

---

1 eius *om. X* non *om. G* 2 non *om. L* in te] ita *X* 8 tu—eris *om. α* invitusne *X* 9 mihi si] si enim michi *α* 12 non enim posses *β Retract. l m* non enim possum *M α a e* non enim possumus *δ* non enim posse *F m 1* neminem posse *F m 2 R V* 17 senescimus] vivimus *α S a e l* aut non v. infirmamur sed nec. *β om. cet. edd* 21 praesciat] praescius *X* ex eo tamen] ex ea voluntate *X* 24 narraverim *Y* 26 deus sit *Y edd*

aliquid fieri possit quam ille praescivit, alioquin nulla praescientia est —, non tamen ex eo cogimur sentire, quod absurdissimum est et longe a veritate seclusum, non te volentem beatum futurum. **29.** Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse coeperis beatus, non tibi aufert praescientia dei, quae hodieque de tua futura beatitudine certa est, sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit, quoniam deus eam futuram esse praescivit.

8. **30.** Attende enim, quaeso, quanta caecitate dicatur: 'Si praescivit deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil potest aliter fieri quam praescivit, necesse est ut velim quod ille praescivit; si autem necesse est, non iam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est.' O stultitiam singularem! Quo modo ergo non potest aliud fieri quam praescivit deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille praesciverit? **31.** Omitto illud aeque monstruosum quod paulo ante dixi eundem hominem dicere: 'necesse est ut ita velim', qui necessitate supposita auferre nititur voluntatem. Si enim necesse est ut velit, unde volet cum voluntas non erit?

32. Quod si non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere, occurretur ex eo quod ipse dixisti cum quaererem utrum invitus beatus futurus sis. Respondisti enim, quod iam esses beatus si potestas esset, velle enim te, sed nondum posse dixisti. Ubi ego subieci de te clamasse veritatem. Non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi dum nobis non adest quod volumus; dum autem volumus, si voluntas ipsa deest nobis, non utique volumus. **33.** Quod si fieri non potest ut dum volumus non velimus, adest utique voluntas volentibus

---

deest B

---

2 non] nec *F m 2 RV* 3 volentem] volente *X om. F m 1* voluntate *F m 2 RV* 4 autem *om. M m 1 γ* 8 eam *om. TCA* 11 aliter potest *Y edd* 25 esset in te *edd* 28 dum] cum *C* 29 si *om. TCA*

nec aliud quicquam est in potestate nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset nisi esset in nostra potestate. Porro, quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus. **34.** Ita fit ut et deum non negemus esse praescium omnium futurorum et nos tamen velimus quod volumus. Cum enim sit praescius voluntatis nostrae, cuius est praescius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est praescius. Nec voluntas esse poterit si in potestate non erit. Ergo et potestatis est praescius. **35.** Non igitur per eius praescientiam mihi potestas adimitur; quae propterea mihi certior aderit, quia ille cuius praescienta non fallitur adfuturam mihi esse praescivit.

E. Ecce iam non nego ita necesse esse fieri quaecumque praescivit deus, et ita eum peccata nostra praescire ut maneat tamen nobis voluntas libera atque in nostra posita potestate.

36. *A.* Quid ergo te movet? an forte oblitus, quid prima IV. disputatio nostra peregit, negabis nullo cogente aut superiore aut inferiore aut aequali, sed ea nos voluntate peccare?

37. *E.* Nihil horum prorsus audeo negare. Sed tamen, fateor, nondum video quo modo sibi non adversentur haec duo, praescientia dei de peccatis nostris et nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam et iustum deum necesse est fateamur et praescium. Sed scire vellem qua iustitia puniat peccata quae necesse est fieri, aut quo modo non sit necesse fieri quae futura esse praescivit, aut quo modo non creatori 10. deputandum est quidquid in eius creatura fieri necesse est.

38. *A.* Unde tibi videtur adversum esse liberum arbitrium nostrum praescientiae dei? quia praescientia est an quia dei praescientia est?

E. Quia dei potius.

---

deest B

9—10 nec—praescius *om.* α 14 esse *om. TCA* 19 nostra disputatio *Y edd* peregerit β γ *l m*

A. Quid ergo? si tu praescires peccaturum esse aliquem, non esset necesse ut peccaret?

E. Immo necesse esset ut peccaret. Non enim aliter esset praescientia mea nisi certa praescirem.

A. Non igitur quia dei praescientia est necesse est fieri quae praescierit, sed tantum modo quia praescientia est, quae si non certa praenoscit utique nulla est.

E. Consentio. Sed quorsum ista?

39. *A.* Quia, nisi fallor, non continuo tu peccare cogeres quem peccaturum esse praescires, neque ipsa praescientia tua peccare eum cogeret quamvis sine dubio peccaturus esset; non enim aliter id futurum esse praescires. Sicut itaque non sibi adversantur haec duo, ut tu praescientia tua noveris quod alius sua voluntate facturus est, ita deus, neminem ad peccandum cogens, praevidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt.

11. **40.** Cur ergo non vindicet iustus quae fieri non cogit praescius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quae praeterierunt, sic deus praescientia sua non cogit facienda quae futura sunt. Et sicut tu quaedam quae fecisti meministi nec tamen quae meministi omnia fecisti, ita deus omnia quorum ipse auctor est praescit, nec tamen omnium quae praescit ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, iustus est ultor. Hinc ergo iam intellege qua iustitia deus peccata puniat, quia quae novit futura non facit. **41.** Nam si propterea non debet retribuere supplicium peccantibus quia praevidet peccaturos, nec recte facientibus debet praemia retribuere, quia et recte facturos nihilominus praevidet. Immo vero fateamur et ad praescientiam eius pertinere ne quid eum lateat futurorum, et ad iustitiam ut pec-

deest B

13 tu *om.* α *Y* 14 voluntate sua *TCA* 17 vindicet] iudicet α *Y a e* 18 tu *om.* α 21 omnia quae mem. *X* 23 malus *om.* γ *l* 24 qua] quia *TCA* 28 retribuere *om. L*

catum, quia voluntate committitur, ita iudicio eius inpune non fiat, sicut praescientia non cogitur fieri.

42. Iam illud quod tertio loco posuisti, quo modo non creatori deputandum sit quidquid in eius creatura fieri necesse est, regulam illam pietatis facile non movebit, quam meminisse nos convenit, gratiarum actionem nos debere creatori nostro. Cuius profecto largissima bonitas iustissime laudaretur, etiamsi aliquo inferiore creaturae gradu nos condidisset. **43.** Quamvis enim anima nostra peccatis tabefacta sit, sublimior est tamen et melior quam si in hanc lucem visibilem verteretur. Et vides profecto de huius lucis eminentia, quantum laudent animae deum etiam corporis sensibus deditae. Quapropter non te iam moveat quod vituperantur animae peccatrices, ut dicas in corde tuo melius fuisse si non essent. **44.** In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent si peccare noluissent. Institutor tamen earum deus praeclarissime pro humana facultate laudandus est, non solum quoniam peccantes eas iuste ordinat, sed etiam quia tales instituit ut etiam peccatis sordidatae nullo modo lucis corporalis dignitate superentur, de qua tamen laudatur. V. 1

45. Illud quoque moneo caveas, ne forte non dicas quidem melius fuisse ut non essent, sed dicas aliter eas fieri debuisse. Quicquid enim tibi vera ratione melius occurrerit scias fecisse deum tamquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed invida infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, iam nihil aliud inferius velle fieri, tamquam si perspecto caelo nolles terram factam esse; inique omnino. **46.** Recte enim reprehenderes si prae- 13.

deest B

5 regulam illam *L S Paris. 12209 'Corbeiensis'* regula illa *cet.* non movebit] non movebitur *F m 1* removebitur *F m 2 R V* commovebit *e l m* quam] quia *L Y* 8 in aliquo *Y* 12 laudant *δ* 13 iam te *X* te ita iam *G* vituperentur *X* tam vituperantur *T A γ δ* ita vituperantur *C* 15—16 in—noluissent *om. α* 16 earum *om. C* 22 fieri eas *Y edd* eas aliter fieri *K* 28 inique omnino] esset enim iniquum *Y*

termisso caelo terram factam videres, quoniam diceres ita eam fieri debuisse sicuti posses cogitare caelum. Cum ergo etiam illud ad cuius speciem volebas terram perducere factum esse perspiceres, non autem hoc terram sed caelum vocari, credo quod re meliore non fraudatus, ut inferior quoque aliqua fieret et terra esset, nequaquam invidere deberes. **47.** In qua terra rursus secundum partes eius tanta est varietas, ut nihil quod ad terrae pertinet speciem cogitanti occurrat, quod non in tota eius mole deus omnium conditor fecerit. Namque a terra feracissima et amoenissima usque ad salsissimam et infecundissimam ita gradatim per medias pervenitur ut nullam reprehendere audeas nisi in conparatione melioris atque ita per omnes gradus laudis ascendas ut quod summum genus terrae inveneris solum tamen esse nolis. **48.** Iam vero inter totam terram et caelum quanta distantia est! Interponuntur enim umida flabilisque natura atque ex his quattuor elementis aliae innumerabiles nobis, numeratae autem deo rerum species formaeque variantur.

49. Potest ergo esse aliquid in rerum natura quod tua ratione non cogitas. Non esse autem quod vera ratione cogitas non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare quod creaturae artificem fugerit. Humana quippe anima naturaliter divinis ex quibus pendet conexa rationibus, cum dicit: 'melius hoc fieret quam illud', si verum dicit et videt quod dicit, in illis quibus conexa est rationibus videt. **50.** Credat ergo deum fecisse quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiam si hoc in rebus factis non videt, quia etiam si caelum oculis videre non posset et tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum esse, quamvis id oculis non videret. Non enim

---

deest B

---

10 a *om. M TCA X F sed manus posterior C correxit et ita passim deinceps* usque] atque *X* 11 et infecundissimam *om. α* 13 gradibus *M TAG δ* 14 solum] caelum *a e* 16 umida *M X F m 1* humida *cet.*

cogitatione videret fuisse faciendum, nisi in his rationibus quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest veraci cogitatione videre quam non est verum.

51. In eo plerique homines errant, quia meliora cum 14.
mente conspexerint, non in sedibus congruis ea oculis quaerunt, velut si quisquam perfectam rotunditatem ratione conprehendens stomachetur quod talem nucem non invenit, si nullum umquam rotundum corpus praeter huiusce modi poma conspexit. **52.** Nam ita quidam cum ratione verissima videant meliorem esse creaturam quae, quamvis habeat liberam voluntatem, deo tamen semper infixa numquam peccaverit, intuentes peccata hominum non ut peccare desinant sed quia facti sunt dolent, dicentes: 'tales nos faceret ut semper incommutabili eius veritate perfrui, numquam autem peccare vellemus.' **53.** Non clament, non suscenseant, quia neque ipsos ideo coegit peccare quia fecit quibus potestatem utrum vellent dedit, et sunt tales angeli quidam qui neque peccaverunt umquam neque peccaturi sunt. Quam ob rem si te delectat creatura quae perseverantissima voluntate non peccat, non est dubitandum quod eam peccanti recta ratione praeponas. **54.** Sed sicut eam tu cogitatione praeponis, sic eam creator deus ordinatione praeposuit. Crede esse talem in superioribus sedibus et in sublimitate caelorum, quia si bonitatem conditor praebuit ad eam condendam cuius praevidit futura peccata, nullo modo non praeberet eam bonitatem ut creaturam conderet quam peccaturam non esse praescivit.

55. Habet enim illa sublimis perpetuam beatitudinem 15.
suam in perpetuum fruens creatore suo, quam perpetua tenendae iustitiae voluntate promeretur. Habet deinde or-

---

deest B

---

2 non ibi *M S* 3 vera cog. *Y* 4 cum meliora mente *Y* 7 tale in nuce *M* talem in nuce *edd* 8 corpus rotundum *Y edd* 9 veracissima *X* 15 suscenseant *M X F* succ- *cet.* 17 quidam angeli *Y edd* peccaverint *et* sint *M TA XK γ Y*

dinem suum etiam ista peccatrix, amissa in peccatis beatitudine, sed non dimissa recuperandae beatitudinis facultate. Quae profecto superat eam quam peccandi perpetua voluntas tenet; inter quam et illam priorem permanentem in voluntate iustitiae haec medietatem quandam demonstrat quae penitendi humilitate altitudinem suam recipit. **56.** Nam neque ab illa creatura, quam praescivit deus non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram, abstinuit largitatem bonitatis suae, ut eam non conderet. Sicut enim melior est vel aberrans equus quam lapis propterea non oberrans quia proprio motu et sensu caret, ita est excellentior creatura quae libera voluntate peccat quam quae propterea non peccat quia non habet liberam voluntatem. **57.** Et sicut laudarem vinum in suo genere bonum in quo vino inebriatum hominem vituperarem, et tamen eundem hominem iam vituperatum et adhuc ebrium laudato illi vino de quo ebrius factus est anteponerem, ita corporalis creatura in suo gradu iure laudanda est, cum illi vituperandi sint qui eius inmoderato usu a veritatis perceptione avertuntur; quamvis idem rursus iam perversi et quodam modo temulenti eidem creaturae in ordine suo laudabili cuius aviditate evanuerunt, non iam merito vitiorum, sed adhuc naturae dignitate praeferuntur.

16. **58.** Quia igitur omnis anima omni corpore est melior omnisque peccatrix anima quocumque ceciderit nulla commutatione corpus efficitur nec omnino illi aufertur quod anima est et ideo nullo pacto amittit quod corpore est melior, in corporibus autem lux tenet primum locum, consequens est ut primo corpori anima extrema praeponatur fierique possit,

---

deest B

---

1 dimissa] amissa δ 3 voluntas] voluptas *l* 5 penitendi *M AG V* δ poe- *X R* pae- *K* pę- *TC L F* 6 recepit γ 10 aberrans *G K l m* 14 in quo] de quo *G m* quo δ 19 iidem *edd* 22 praeferantur *X*

ut corpori alicuius animae aliquod aliud corpus anteferatur, ut autem ipsi animae, nullo modo. **59.** Cur ergo non laudetur deus et ineffabili praedicatione laudetur, qui, cum fecerit eas, quae in legibus essent iustitiae permansurae, fecit etiam alias animas, quas vel peccaturas vel in peccatis etiam perseveraturas esse praevidebat? cum adhuc et tales meliores sint eis quae, quoniam nullum habent rationale ac liberum voluntatis arbitrium, peccare non possunt. Quae tamen adhuc etiam ipsae meliores sunt quam corporum quorumlibet quamlibet splendidissimus fulgor, quem pro ipsius summi dei substantia quidam, quamvis cum magno errore, venerantur. **60.** Quod si in ordine corporearum creaturarum ab ipsis sidereis choris usque ad numerum capillorum nostrorum ita gradatim bonarum rerum pulchritudo contexitur ut inperitissime dicatur: 'quid est hoc? utquid hoc?' — omnia enim in ordine suo creata sunt —, quantum inperitius de quacumque anima dicitur, quae, ad quantamlibet sui decoris deminutionem defectumque pervenerit, omnium corporum dignitatem sine ulla dubitatione superabit!

61. Aliter enim aestimat ratio aliter usus. Ratio aestimat 17. luce veritatis, ut recto iudicio subdat minora maioribus; usus autem consuetudine commoditatis plerumque inclinatur, ut ea pluris aestimet quae veritas minora esse convincit. Cum enim corpora caelestia corporibus terrestribus magna differentia ratio praeponat, quis tamen carnalium hominum non mallet vel plura deesse in caelo sidera quam unam arbusculam in agro suo aut vaccam in armento? **62.** Sed sicut aetate maiores homines vel omnino contemnunt vel certe patienter corrigenda exspectant iudicia parvulorum, qui ex-

---

deest B

---

6 et tales adhuc *edd* 12 siderum $\alpha\,\delta$ *edd* 15 aut quid $\alpha\,\delta\,e$ utquid hoc *om. L* in *om. edd* 16 quantum *M* α *Y (cf. p. 79, 13)* quanto *cet.* 17 quantam suilibet *M* quantam sui cuiuslibet γ 16—18 anima—defectumque *om.* α anima quae quocumque *suppl. G* 18 sine ulla dubitatione *om. G* 19 superavit *M T C A K* $\delta\,a\,e\,l$ semper superabit *G m*

ceptis quibusdam quorum amore laetantur quemlibet hominum ceterorum mori malunt quam passerem suum — et multo magis si homo sit ille terribilis, passer autem canorus et pulcher —, ita hi qui provectu animi ad sapientiam profecerunt, inperitos rerum existimatores cum invenerint deum laudantes in creaturis minoribus, qui eas carnalibus suis sensibus accomodatius adhibent, in superioribus vero atque melioribus partim eum non laudantes minusve laudantes, partim etiam vituperare aut emendare conantes, partim non credentes quod earum ille sit conditor, talium iudicia vel omnino contemnere, si corrigere nequeunt, vel donec corrigant aequo animo tolerare ac sustinere consuescant.

18. **63.** Quae cum ita sese habeant, tantum abest a vero quod creatori deputanda existimantur peccata creaturae, quamvis necesse est fiant quae ipse futura praescivit, ut cum tu dixeris non te invenire quomodo non ei deputetur quicquid in eius creatura fieri necesse est, ego contra non inveniam modum neque inveniri posse atque omnino non esse confirmem, quo ei deputetur quicquid in eius creatura ita fieri necesse est ut voluntate peccantium fiat. **64.** Si enim quis dixerit: 'Non esse quam miserum esse me mallem', respondebo: 'Mentiris. Nam et nunc miser es nec ob aliud mori non vis nisi ut sis; ita cum miser nolis esse, esse vis tamen. Age igitur gratias ex eo quod es volens, ut quod invitus es auferatur. Volens enim es et miser invitus es. Quod si ingratus es in eo quod esse vis, iure cogeris esse quod non vis. Ex illo igitur quod etiam ingratus habes quod vis, creatoris laudo bonitatem; ex illo autem quod ingratus pateris quod non vis, ordinatoris laudo iustitiam.'

---

deest B

---

4 hii *M TCA V Y* ii *edd* 5 aestimatores *e l m* 6 qui] quia *G* 12 aequo] aequali *X* consuescunt *XL S* 13 sese] esse *M TCA* se *X γ Y* a *om. α* 16 tu *om. M m l α* 17 eum non *γ* 21 quam miserum esse *om. α L* me esse *a e l* 23 *alt.* esse *om. α X* 28 pateris ingratus *edd*

65. Si dixerit: 'Non ideo mori nolo quod malim miser 19.
esse quam omnino non esse, sed ne post mortem miserior sim', respondebo: 'Si hoc iniustum est, non sic eris, si autem hoc iustum est, laudemus eum cuius legibus sic eris.' Si dixerit: 'Unde praesumam quod si hoc iniustum est non sic ero?' respondebo: 'Quia si eris in tua potestate, aut miser non eris aut tu ipse te iniuste regendo iuste eris miser. **66.** Aut volendo et non valendo te iuste regere non eris in tua potestate, et aut in nullius eris aut in alterius; si in nullius, aut invitus aut volens; sed invitus esse nihil potes nisi te vis aliqua superaverit, porro nulla vi superari potest qui est in nullius potestate; si autem volens in nullius eris potestate, ad hoc ratio recurrit ut sis in tua et aut te iniuste regendo iuste miser sis, aut quoniam quodlibet volens eris habes adhuc unde gratias agas bonitati conditoris tui. **67.** Quod si in tua potestate non eris, aut potentior profecto aut infirmior te habebit in potestate. Quod si infirmior, tua culpa et iusta miseria, poteris enim infirmiorem superare si voles; si autem potentior te infirmiorem habebit in potestate, nullo modo tam rectam ordinationem recte iniustam putabis.' Verissime igitur dictum est: 'Si hoc iniustum est, non sic eris, si autem iustum, laudemus eum cuius legibus sic eris.'

68. Si dixerit: 'Ideo magis volo vel miser esse quam VII.
omnino non esse quia iam sum, si autem priusquam essem possem consuli, eligerem non esse potius quam ut essem miser. Nunc enim quod timeo non esse cum miser sim ad ipsam miseriam pertinet qua non id volo quod velle deberem; magis enim non esse quam miser esse velle deberem. **69.** Nunc vero fateor me quidem malle vel miserum esse quam nihil; sed tanto stultius id volo quanto miserius, tanto autem miserius quanto verius video non hoc me velle debuisse', respondebo:

---

deest B

---

1 dixeris $\alpha\,\delta$ 5 dixeris $\alpha\,\delta$ praesumat *X* 8 te *om.* γ 15 creatoris *L S* 23 dixeris $\alpha\,\delta$ 27 qua] quia *M X* δ 27 id non γ

'Cave potius ne hic erres ubi te videre verum putas. Nam si beatus esses, utique esse quam non esse malles; et nunc miser cum sis, mavis tamen esse vel miser quam omnino non esse, cum esse nolis miser. **70.** Considera igitur, quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri volunt. Nam si hoc bene consideraveris, videbis in tantum te esse miserum in quantum non propinquas ei quod summe est, in tantum autem putare melius esse ut quisque non sit quam ut miser sit in quantum non vides quod summe est, et ideo tamen esse te velle quoniam ab illo es qui summe est.'

21. **71.** Si vis itaque miseriam fugere, ama in te hoc ipsum quia esse vis. Si enim magis magisque esse volueris, ei quod summe est propinquabis; et gratias age nunc quia es. Quamvis enim sis beatis inferior, superior tamen es quam ea quae non habent vel beatitudinis voluntatem, quorum tamen multa etiam a miseris laudantur. Omnia tamen eo ipso quo sunt iure laudanda sunt, quia eo ipso quo sunt bona sunt. **72.** Quanto enim amplius esse amaveris, tanto amplius vitam aeternam desiderabis teque ita formari exoptabis ut affectiones tuae non sint temporales, de temporalium rerum amoribus inustae et inpressae; quae temporalia et antequam sint non sunt, et cum sunt fugiunt, et cum fugerint non erunt. Itaque cum futura sunt, nondum sunt, cum autem praeterita sunt, iam non sunt. **73.** Quo modo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc est incipere ut sint, quod est pergere ut non sint? Qui autem amat esse probat ista in quantum sunt et amat quod semper est. Et si variabatur in amore istorum, munitur in illius; et si diffluebat in amore transeuntium, in permanentis amore solidabitur et stabit et obtinebit ipsum esse, quod volebat cum timebat non esse et stare non poterat inretitus amore fugientium.

---

deest B

---

7 te *om. TCA* te in tantum *edd* 10 te esse *edd* quoniam] quia *G* 14 beatis sis *edd* 21 iniustae *M α X δ* 27 variatur *Rouen 476 'Gemeticensis' m mg* 28 munietur *S e l m* defluebat *TCA Y*

74. Non ergo tibi displiceat, immo maxime placeat, quod mavis esse vel miser quam propterea miser non esse quia nihil eris. Huic enim exordio quo esse vis si adicias magis magisque esse, consurgis atque exstrueris in id quod summe est, atque ita te ab omni labe cohibebis, qua transit ut non sit quod infime est et secum amantis vires subruit. **75.** Hinc fiet ut qui mavult non esse ne miser sit, quia non esse non potest, restet ut miser sit, qui autem plus amat esse quam odit miser esse, adiciendo ad id quod amat quod odit excludat; cum enim in suo genere perfecte esse coeperit miser non erit.

76. Nam illud vide quam absurde atque inconvenienter dicatur: 'Mallem non esse quam miser esse.' Qui enim dicit: 'Mallem hoc quam illud', eligit aliquid. Non esse autem non est aliquid sed nihil et ideo nullo pacto potes recte eligere, quando quod eligas non est. Dicis velle et quidem esse, cum sis miser, sed non hoc velle debuisse. Quid igitur velle debuisti? 'Non esse', inquis, 'potius.' Si hoc velle debuisti, hoc est melius. **77.** Quod autem non est melius esse non potest, non ergo id velle debuisti veraciorque sensus est quo id non vis quam opinatio per quam te id velle debuisse arbitraris. Deinde quod quisque recte eligit adpetendum, cum ad id pervenerit necesse est melior fiat. Melior autem esse non poterit qui non erit, nemo igitur recte potest eligere ut non sit. **78.** Neque enim moveri nos oportet eorum iudicio qui urguente miseria sese interemerunt. Aut enim eo confugerunt ubi melius sibi fore putarunt, et non est contrarium rationi nostrae, quoquo modo putaverint; aut si nullos se futuros

VIII. 5

---

deest B

---

1 ergo] igitur *edd* 3 eris *om.* γ 5 qua] qui *TA* quia *C m 2 G V* 6 amantes *M TCA* β 8 restat *TCA V* 9 et adiciendo *M LK F m 1* 12 atque] et *S l m* 15 recte potes eligere *G* potes el. recte *L* 16 quod] quo id *M XK* quid *Y* 18 si hoc potius *G* 22 elegit γ *Y* 26 urguente *M TA X* urgente *cet.* 27 fore sibi *edd* putaverunt *G* est *om.* γ 28 putaverunt *RV*

omnino crediderunt, multo minus falsa electio nihil eligentium commovebit. Quo modo enim sequar eligentem, a quo si quaeram quid eligat, respondebit: 'Nihil'? Nam qui eligit non esse, profecto se nihil eligere, etiam si hoc nolit respondere, convincitur.

23. **79.** Verum tamen ut de hac tota re, si potero, dicam quod sentio, nemo mihi videtur, cum se ipsum necat aut quolibet modo emori cupit, habere in sensu quod post mortem non sit futurus, tametsi aliquantum hoc in opinione habeat. Nam opinio aut in errore aut in veritate ratiocinantis est vel credentis, sensus autem aut consuetudine aut natura valet. **80.** Posse autem fieri ut aliud sit in opinione aliud in sensu, vel ex hoc cognoscere facile est, quod plerumque aliud faciendum esse credimus et aliud facere delectat. Et aliquando veracior est sensus quam opinio, si illa de errore ille de natura est, velut cum aeger plerumque aqua frigida conducibiliter delectatur, quam tamen credit si biberit esse nocituram. **81.** Aliquando veracior opinio quam sensus, si credat arti medicinae obesse frigidam, cum re vera oberit, et tamen bibere delectet. Aliquando utrumque in veritate est, cum id quod prodest non solum ita creditur sed etiam libet; aliquando utrumque in errore, cum id, quod nocet, et prodesse creditur et libere non desinit. **82.** Solet autem et recta opinio pravam corrigere consuetudinem et prava opinio rectam depravare naturam; tanta vis est in dominatu et principatu rationis. Cum ergo quisque credens quod post mortem non erit intolerabilibus tamen molestiis ad totam cupiditatem mortis impellitur et decernit atque arripit mortem, in opinione habet errorem omnimodae defectionis, in sensu autem naturale desiderium quietis. **83.** Quod autem quietum est non est nihil, immo etiam magis est quam id quod inquietum

---

deest B

---

1 minus me δ 3 qui] quid *X* 14 facere] facile *M TCA* 18 credit *S edd* 31 magis] maius *XL S*

est. Inquietudo enim variat adfectiones ut altera alteram perimat, quies autem habet constantiam in qua maxime intellegitur quod dicitur Est. Omnis itaque ille adpetitus in voluntate mortis non ut qui moritur non sit sed ut requiescat intenditur. **84.** Ita cum errore credat non se futurum, natura tamen quietus esse, hoc est, magis esse desiderat. Quapropter sicut nullo pacto fieri potest ut non esse aliquem libeat, ita nullo pacto fieri oportet ut ex eo quod est quisque bonitati creatoris ingratus sit.

85. Si dixerit: 'Non erat tamen difficile aut laboriosum omnipotenti deo ut omnia quaecumque fecit sic haberent ordinem suum ut nulla creatura usque ad miseriam perveniret; non enim hoc aut omnipotens non potuit aut bonus invidit', respondebo ordinem creaturarum a summa usque ad infimam gradibus iustis ita decurrere ut ille invideat qui dixerit: 'Ista non esset', invideat etiam ille qui dixerit: 'Ista talis esset.' **86.** Si enim talem vult esse qualis est superior, iam illa est et tanta est ut addi ei non oporteat, quia perfecta est. Qui ergo dicit: 'Etiam ista talis esset', aut perfectae superiori vult addere et erit immoderatus et iniustus aut istam vult interimere et erit malus et invidus. **87.** Qui autem dixerit: 'Ista non esset', nihilominus erit malus atque invidus, cum eam non vult esse quam inferiorem laudare adhuc cogitur, velut si dicat: 'Non esset luna', cum etiam lucernae claritatem longe inferiorem, in suo tamen genere pulchram et terrenis tenebris decoram atque aptam nocturnis usibus atque in his omnibus pro suo modulo utique laudabilem aut fateatur aut stultissime vel contentiose neget.

IX. 5

---

deest B

---

3 dicitur] dictum *Rouen 476 el m mg* 7—8 ut—oportet *om. α* oportet] potest *M γ* 11 quaecumque] quae *γ* 16 esset] esse *TCA* ista—dixerit *om. X* 18 addi ei] addi *α* adici *Y* adici ei *edd* 21—23 qui—invidus *F m 2 RV om. cet.* 23 quam] qua *γ e l m* 24 adhuc laudare *L S* 26 decoram] sed coram *M α* accomodam *γ* esse decoram *m* 27 his *om. α*

88. Quo modo ergo recte dicere audebit: 'Luna non esset in rebus', qui si diceret: 'Lucerna non esset', deridendum se esse sentiret? Quodsi non dicit: 'Luna non esset', sed qualem solem videt talem dicit lunam esse debuisse, non intellegit nihil aliud se dicere quam: 'Non esset luna, sed essent soles duo.' In quo dupliciter errat quod rerum perfectioni et addere aliquid cupit, cum desiderat alterum solem, et minuere, cum lunam vult detrahi.

25. **89.** Hic fortasse dicat ideo nihil se de luna conqueri quia splendor eius ita minor est ut miser non sit, de animarum autem non obscuritate, sed miseria se dolere. Sedulo cogitet ita lunae splendorem non esse miserum ut nec splendor solis sit beatus. **90.** Quamvis enim corpora caelestia sint, corpora sunt tamen quantum ad lucem istam pertinet quae per oculos corporeos sentiri potest. Nulla autem corpora, quantum ad sese adtinet, vel beata possunt esse vel misera, quamquam beatorum aut miserorum corpora possint esse. **91.** Sed de illis luminibus similitudo adhibita id docet, ut, quem ad modum corporum differentias contemplando videns alia clariora iniuste petis auferri quae obscuriora conspexeris aut clarioribus adaequari, sed ad perfectionem universitatis referens omnia quanto magis minusve inter se clara sunt tanto magis cernis esse omnia, nec tibi occurrit perfecta universitas, nisi ubi maiora sic praesto sunt ut minora non desint, sic etiam differentias animarum cogites in quibus hoc quoque invenies, ut miseriam quam doles ad id quoque valere cognoscas, ut universitatis perfectioni nec illae desint animae quae miserae fieri debuerunt quia peccatrices esse voluerunt. Tantumque abest ut deus tales facere non debuerit, ut etiam ceteras creaturas laudabiliter fecerit longe inferiores animis miseris.

---

deest B

---

2 qui si] quasi *T m 1 C m 1* quia si *T m 2 C m 2 A* 11 sedulo] sed *G* 15 corporeos oculos *Y edd* 16 se *TCA* 18 ut *L F m 2 R V δ l m om. cet.* 20 petas *X* perspexeris *R* 27 nec] ne *X*

92. Sed adhuc videtur minus intellegens quod dictum 26.
est habere quod contradicat. Dicit enim: 'Si universitatis perfectionem complet etiam nostra miseria, defuisset aliquid huic perfectioni si beati semper essemus. Quapropter si ad miseriam nisi peccando non pervenit anima, etiam peccata nostra necessaria sunt perfectioni universitatis quam condidit deus. Quo modo ergo iuste punit peccata quae si defuissent creatura eius plena et perfecta non esset?' **93.** Hic respondetur non ipsa peccata vel ipsam miseriam perfectioni universitatis esse necessaria, sed animas in quantum animae sunt, quae si velint peccant, si peccaverint miserae fiunt. Si enim peccatis earum detractis miseria perseverat aut etiam peccata praecedat, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis. Rursus si peccata fiant et desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. **94.** Cum autem non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas; cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est universitas. Quod autem ipsae non desunt animae quas vel peccantes sequitur miseria vel recte facientes beatitudo, semper naturis omnibus universitas plena atque perfecta est. Non enim peccatum et supplicium peccati naturae sunt quaedam, sed adfectiones naturarum, illa voluntaria, ista poenalis. **95.** Sed voluntaria quae in peccato fit turpis adfectio est. Cui propterea poenalis adhibetur ut ordinet eam ubi talem esse non turpe sit, et decori universitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet poena peccati.

96. Hinc fit ut peccans creatura superior creaturis in- 27.
ferioribus puniatur, quia illae tam sunt infimae ut ornari etiam a turpibus animis possint atque ita decori universitatis congruere. Quid enim tam magnum in domo est quam homo?

---

deest B

---

2 si *om. TCA* 3 defuisse *M β F m 1* 7 peccata punit *Y edd* 10 necessaria esse *L S* 13 ministratio *L* universitatis administratio *S* 16—17 cum vero—universitas *om. α L, sed spatium relinquit G* 24 talis *M α β* 26 emendat *M* 27 a creaturis *γ l m*

et quid tam abiectum et infimum quam cloaca domus? Servus tamen in tali peccato detectus ut mundandae cloacae dignus habeatur ornat eam etiam turpitudine sua. **97.** Et utrumque horum, id est turpitudo servi et mundatio cloacae, iam coniunctum et redactum in quandam sui generis unitatem ita dispositae domui coaptatur atque subtexitur ut eius universitati ordinatissimo decore conveniat. Qui tamen servus si peccare noluisset, non defuisset domesticae disciplinae alia provisio qua necessaria mundarentur. Quid itaque tam infimum in rebus quam corpus omne terrenum? **98.** Hanc tamen corruptibilem carnem etiam peccatrix anima sic ornat ut ei speciem decentissimam praebeat motumque vitalem. Habitationi ergo caelesti talis anima non congruit per peccatum, terrestri autem congruit per supplicium, ut quodlibet elegerit semper sit pulchra universitas decentissimis partibus ordinata, cuius est conditor et administrator deus. **99.** Namque optimae animae cum in infimis creaturis habitant, non eas ornant miseria sua, quam non habent, sed usu earum bono. Si autem peccatrices animae permittantur habitare in sublimibus locis, inhonestum est, quia non conveniunt illis, quibus nec bene uti possunt nec ornamenti aliquid conferunt.

28. **100.** Ideo quamquam orbis iste terrenus rebus corruptibilibus deputatus sit, tamen servans quantum potest imaginem superiorum exempla nobis et indicia quaedam demonstrare non cessat. Si enim bonum et magnum aliquem virum, hortante honestatis officio, videamus ignibus, quantum ad corpus adtinet, concremari, non hoc vocamus poenam peccati, sed fortitudinis et patientiae documentum, eumque magis diligimus cum foedissima corruptio corporea membra eius absumat quam si nihil eius modi pateretur; miramur quippe animi naturam mutabilitate corporis non mutari. **101.** At vero

deest B

10 tamen] tam *X* 11 etiam] tam *XL* et tam *K* et tamen *M TCA* tamenetsi *G* 24 superiorem *m* 30 absumit *L S* si *om. M* eius modi *om. G* huius modi *edd*

crudelissimi latronis membra cum tali supplicio confici aspicimus, adprobamus ordinem legum. Ornant ergo ambo illa tormenta, sed ille merito virtutis, iste peccati. At si post illos ignes vel etiam ante illos optimum illum virum commutatum ad congruentiam caelestis habitationis ad sidera videremus adtolli, utique laetaremur. Si autem sceleratum latronem sive ante supplicium sive post supplicium cum eadem malitia voluntatis ad sedem honoris sempiternam levari videremus in caelum, quis non offenderetur? **102.** Ita fit ut inferiores creaturas ambo ornare potuerint, superiores autem unus illorum. Ex quo admonemur advertere mortalitatem carnis huius et primum hominem ornasse, ut peccato poena congrueret, et dominum nostrum, ut a peccato misericordia liberaret. Non autem sicut iustus potuit in ipsa iustitia permanens corpus habere mortale, ita iniquus potest dum iniquus est ad immortalitatem pervenire sanctorum, scilicet sublimem et angelicam, non eorum angelorum de quibus apostolus ait: Nescitis quia angelos sumus iudicaturi? sed eorum de quibus dominus ait: Et erunt aequales angelis dei. **103.** Qui enim aequalitatem angelorum desiderant propter inanem gloriam suam non ideo volunt aequales esse angelis, sed sibi. Itaque in tali voluntate perseverantes aequabuntur supplicio praevaricatoribus angelis, potestatem suam potius quam dei omnipotentis diligentibus. Talibus enim ad sinistram constitutis, quia non quaesiverunt deum per humilitatis ianuam, quam in se ipso dominus Iesus Christus ostendit, et inmisericorditer superbeque vixerunt, dicetur: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius.

104. Cum enim duae sint origines peccatorum, una spon- X.

18 *I Cor. 6, 3 19—20 cf. Matth. 22, 30; Luc. 20, 36 28—29 *Matth. 25, 41

deest B

4 virum illum *Y edd* 22 angelos sibi *G V l m* 25 quaesierunt *X m*

tanea cogitatione, alia persuasione alterius, quo pertinere arbitror quod propheta dicit: Ab occultis meis munda me, domine, et ab alienis parce servo tuo, utrumque voluntarium est quidem — nam sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti non utique nisi voluntate consentit —, sed tamen gravius est non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccatum alteri per invidentiam dolumque suadere, quam ad peccandum alterius suasione traduci. **105.** Servata est ergo in utroque peccato iustitia domini punientis. Nam et illud adpensum est aequitatis examine ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo quem sibi male suadendo subiecerat. Iniquum enim erat ut ei quem ceperat non dominaretur. Nec fieri ullo modo potest ut dei summi et veri perfecta iustitia quae usquequaque pertenditur deserat etiam ordinandas ruinas peccantium. **106.** Et tamen quia minus peccaverat homo quam diabolus, id ipsum ei valuit ad reparandam salutem, quod principi huius mundi, partis rerum scilicet huius mortalis atque infimae, hoc est principi omnium peccatorum et praeposito mortis, usque ad mortalitatem carnis addictus est. **107.** Ita enim conscientia mortalitatis timidus et a vilissimis atque abiectissimis bestiis vel etiam minutissimis molestias atque interitum reformidans incertusque futurorum, et inlicitas cohibere laetitias et maxime superbiam, cuius persuasione deiectus est et quo uno vitio misericordiae medicina respuitur, frangere consuevit. Quid enim tam opus habens misericordia quam miser? Et quid tam indignum misericordia quam superbus miser?

108. Ex quo factum est ut illud dei verbum, per quod

2—3 *Ps. 18, 13 sq. cf. Conf. 1, 5, 6

deest B

5 non *om. M TCA* 8 peccatum] peccandum *α m* 18 partes *M TCA* parti *G* 19 principi] principio *K F m 1 a e l* in prin. *M* 22 atque] et *Y edd* 26 frangere et edomare *β S a e l*

facta sunt omnia et quo fruitur omnis angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram clementiam suam porrigeret et verbum caro fieret et habitaret in nobis. Sic enim posset panem angelorum homo manducare, nondum angelis adaequatus, si panis ipse angelorum hominibus dignaretur aequari. **109.** Nec sic descendit ad nos ut illos desereret, sed simul integer illis integer nobis, illos intrinsecus pascens per id quod deus est, nos forinsecus admonens per id quod nos sumus, idoneos facit per fidem quos per speciem pascat aequaliter. Quia enim rationalis creatura verbo illo tamquam optimo cibo suo pascitur, humana autem anima rationalis est — quae mortalibus vinculis peccati poena tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, ut per coniecturas rerum visibilium ad intellegenda invisibilia niteretur —, cibus rationalis creaturae factus est visibilis, non commutatione naturae suae sed habitu nostrae, ut visibilia sectantes ad se invisibilem revocaret. Sic eum anima quem superbiens intus reliquerat foris humilem invenit, imitatura eius humilitatem visibilem et ad invisibilem altitudinem reditura.

110. Atque verbum dei unicus dei filius diabolum, quem semper sub legibus suis habuit et habebit, homine indutus etiam homini subiugavit, nihil ei extorquens violento dominatu sed superans eum lege iustitiae, ut, quoniam femina decepta et deiecto per feminam viro omnem prolem primi hominis tamquam peccatricem legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate sed tamen iure aequissimo, vindicabat, tam diu potestas eius valeret donec interficeret iustum, in quo nihil dignum morte posset ostendere, non solum quia sine crimine occisus est sed etiam quia sine libidine natus, cui subiugaverat ille quos ceperat, ut quicquid inde nasceretur 31.

---

deest B

---

5 adaequari δ 11 est *om.* δ 13 est redacta δ 14 invisibilia] visibilia *M m 1 TC m 1 A X* γ 14 cybus *X* 17 eum] enim *Y* enim eum *S* 20 atque] itaque *L S* 29 cui *om.* α cuius *M X*

tamquam suae arboris fructus prava quidem habendi cupiditate sed tamen non iniquo possidendi iure retineret. **111.** Iustissime itaque dimittere cogitur credentes in eum quem iniustissime occidit, ut et quod temporaliter moriuntur debitum exsolvant et quod semper vivunt in illo vivant qui pro eis quod non debebat exsolvit, quibus autem infidelitatis perseverantiam persuasisset iuste secum haberet in perpetua damnatione consortes. **112.** Ita factum est ut neque diabolo per vim eriperetur homo quem nec ipse vi sed persuasione ceperat, et qui iuste plus humiliatus est ut serviret cui ad malum consenserat, iuste per eum cui ad bonum consensit liberaretur, quia minus iste in consentiendo quam ille in male suadendo peccaverat.

32. **113.** Naturas igitur omnes deus fecit, non solum in virtute atque iustitia permansuras sed etiam peccaturas, non ut peccarent sed ut essent ornaturae universum, sive peccare sive non peccare voluissent. Si enim rebus deessent animae quae ipsum fastigium ordinis in universa creatura sic optinerent ut si peccare voluissent infirmaretur et labefactaretur universitas, magnum quiddam deesset creaturae; illud enim deesset quo remoto stabilitas rerum atque conexio turbaretur. **114.** Tales sunt optimae et sanctae et sublimes creaturae caelestium vel supercaelestium potestatum, quibus solus deus imperat, universus autem mundus subiectus est. Sine istarum officiis iustis atque perfectis esse universitas non potest. Item si deessent quae sive peccarent sive non peccarent nihil universitatis ordini minueretur, etiam sic plurimum deesset. Animae sunt enim rationales et illis superioribus officio quidem impares sed natura pares, quibus adhuc inferiores sunt multi et tamen laudabiles a summo deo constitutarum rerum gradus.

---

deest B

---

7 haberet et *M β S* 10 iuste] iusto *α a e l* plus] prius *L S om. V* serviretur *M TA* 16 universum] universitates *γ* 28 deessent animae *γ*

115. Illa ergo natura sublimioris officii est quae non 33.
solum si non esset sed etiam si peccaret minueret ordinem universitatis. Inferioris officii est ista quae tantum modo si non esset, non autem si peccaret, aliquid minus haberet universitas. Illi data est potentia omnia continendi officio proprio, quod rerum ordini deesse non possit. Nec ideo in bona voluntate permanet quia hoc accepit officium, sed ideo accepit quoniam ab illo qui dedit permansura praevisa est. **116.** Nec tamen sua maiestate continet omnia, sed inherendo illius maiestati et eius imperiis devotissime optemperando a quo et per quem et in quo facta sunt omnia. Huic autem datum est quidem non peccanti potentissimum officium continendi omnia, non tamen proprium sed cum illa, tamquam ei quae peccatura praecognita est. **117.** Habent sane spiritalia quaeque inter se et coniunctionem sine cumulo et seiunctionem sine diminutione, ut neque adiuvaretur illa in actionis suae facilitate, cum haec sibi coniungeretur, neque difficilior illi actio fieret, si haec officium suum peccando desereret. Non enim locis et mole corporum sed parilitate adfectuum iungi et disparilitate seiungi possunt creaturae spiritales, quamvis corpora sua quaeque possideant.

118. In corporibus autem inferioribus atque mortalibus 34.
post peccatum ordinata regit corpus suum, non omnimodo pro arbitrio sed sicut leges universitatis sinunt. Nec ideo tamen talis anima inferior est corpore caelesti, cui corpori etiam corpora terrena subiecta sunt. Pannosa quippe vestis damnati servi multo est inferior veste bene meriti et in honore magno apud dominum constituti, sed ipse servus melior est qualibet veste pretiosa, quia homo est. **119.** Illa

---

22—23 cf. Epist. 143, 5

---

deest B

---

1 igitur *L S* 6 posset *L* 10 devotissimis *γ* 15 spiritualia *L R V S* 17 actione suae *M* actione sua *γ* 20 spiritales creaturae *δ* 23 anima ordinata *T C A m*

ergo inheret deo et in caelesti corpore angelica potestate etiam terrestre corpus ornat et regit, sicut iubet ille cuius nutum ineffabiliter intuetur. Ista vero mortalibus membris onerata vix hoc ipsum quo premitur administrat intrinsecus et tamen ornat quantum potest; cetera vero extrinsecus adiacentia longe infirmiore operatione extrinsecus adficit sicut potest.

35. **120.** Unde colligitur non defuturum fuisse ornatum congruentissimum infimae corporeae creaturae, etiam si ista peccare noluisset, quoniam quae totum potest regere etiam partem regit, quae autem minus potest non continuo potest ampliora. Perfectus enim medicus etiam scabiem sanat efficaciter, at non continuo qui scabioso utiliter consulit universae humanae valetudini mederi potest. **121.** Et ratio quidem si certa conspicitur qua manifestum fiat esse oportuisse creaturam quae numquam peccaverit numquam peccatura sit, etiam illud eadem ratio renuntiat a peccato illam libera voluntate abstinere neque coactam non peccare sed sponte. **122.** Verum tamen etiam si peccaret — quamquam non peccavit, sicut eam non peccaturam praescivit deus —, tamen si etiam ipsa peccaret, sufficeret dei potestas ineffabilis potentiae ad regendam istam universitatem, ut omnibus congrua et condigna retribuens nihil in toto imperio suo turpe atque indecorum esse permitteret, **123.** quia sive per nullas ad hoc ipsum conditas potestates, si omnis angelica natura ab eius praeceptis peccando defecisset, maiestate sua decentissime atque optime regeret omnia — nec sic invidens creaturae spiritali ut esset, qui etiam corporalem peccantibus quoque spiritalibus longe inferiorem tanta largitate bonitatis

---

deest B

---

3 intuetur ineffabiliter *l m* 9 ista] iste *M* istam *X* 11 *alt.* potest] possit *M FR* posset *β* 12 etiam si *F Rouen 476* 17 illam] illa *A X* 20 sicut] sic *M α X* si *L δ* 21 maiestas ineffabili potentia *δ* 24 sive per] si per *TCA* super *G* 27 omnia *om. L* nec] ne *α*

instituit, ut nullus sit caelum terramque rationabiliter intuens omnesque naturas visibiles in suis generibus moderatas formatas ordinatas, qui vel alium credat artificem omnium esse quam deum vel non eum ineffabiliter laudandum esse fateatur — sive nulla est melior rerum ordinatio, nisi potestas angelica naturae excellentia et bonitate voluntatis in dispositione universitatis superemineat, etiam si omnes peccassent angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum creatori angelorum. **124.** Non enim vel bonitas eius quasi aliquo taedio vel omnipotentia difficultate deficeret ad creandos alios, quos in eis sedibus collocaret quas peccando alii deseruissent, aut creatura spiritalis quantilibet numeri si pro suis meritis damnaretur angustare posset ordinem qui convenienter et decenter excipit quoscumque damnatos. Quacumque se igitur consideratio nostra converterit, ineffabiliter laudandum invenit deum naturarum omnium conditorem optimum et administratorem iustissimum. **125.** Postremo, ut relinquamus contem- 36.
plationem pulchritudinis rerum his, qui eam divino munere videre possunt, nec eos ad ineffabilia contuenda verbis conemur adducere et tamen propter loquaces aut infirmos aut insidiosos homines tantam quaestionem brevissima complexione peragamus.

126. Omnis natura quae minus bona fieri potest bona XIII
est, et omnis natura dum corrumpitur minus bona fit. Aut enim non ei nocet corruptio et non corrumpitur, aut si corrumpitur nocet ei corruptio, et si nocet minuit aliquid de bono eius et eam minus bonam facit. Nam si penitus eam privat omni bono quicquid eius remanebit iam corrumpi non poterit, quia nullum erit bonum cuius ademptione possit

---

deest B

---

1 rationaliter *M XK* 5 et naturae *L S* 10 omnipotenti *M β S m 1* difficultate] divinitate *A* 12 numeri] muneris *T m 2 γ* si *F m 2 R V e l m, om. cet.* 14 damnandos *Y edd* quocumque *L* 17 postremum *Y* 19 eos qui non possunt *δ m quae verba revocanda putaverunt Maurini 'e codice altero Sorbonico (id est Paris. 15656) et ex aliis duobus'*

nocere corruptio; cui autem non potest nocere corruptio non corrumpitur. **127.** Porro natura quae non corrumpitur incorruptibilis est; erit ergo natura — quod absurdissimum est dicere —, corruptione facta incorruptibilis. Quapropter, quod verissime dicitur, omnis natura in quantum natura est bona est, quia si est incorruptibilis, melior est quam corruptibilis, si autem corruptibilis est, quoniam dum corrumpitur minus bona fit, sine dubitatione bona est. **128.** Omnis autem natura aut corruptibilis est aut incorruptibilis. Omnis ergo natura bona est. Naturam voco quae et substantia dici solet; omnis igitur substantia aut deus aut ex deo, quia omne bonum aut deus aut ex deo.

37. **129.** Quibus constitutis atque firmatis tamquam in capite ratiocinationis nostrae adtende quod dicam. Omnis natura rationalis cum libero voluntatis arbitrio condita, si manet in fruendo summo atque incommutabili bono, procul dubio laudanda est; et omnis quae tendit ut maneat etiam ipsa laudanda est. Omnis autem quae non in eo manet et non vult agere ut maneat, in quantum ibi non est et in quantum non id agit ut ibi sit, vituperanda est. **130.** Si ergo laudatur rationalis natura quae facta est, nemo dubitat laudandum esse qui fecit; et si vituperatur, nemo dubitat eius conditorem in ipsa eius vituperatione laudari. Cum enim propterea vituperamus hanc, quoniam summo et incommutabili bono id est creatore suo frui non vult, illum sine ulla dubitatione laudamus. Quantum ergo bonum et quam vel ineffabiliter linguis omnibus vel ineffabiliter cogitationibus omnibus praedicandus et honorandus est creator omnium deus, sine cuius laude nec laudari possumus nec vituperari! **131.** Non enim vituperari possumus quia in eo non manemus nisi quia

deest B

6 quia] quae γ incorruptibilis est γ est *om.* $M\,\alpha$ 7 quoniam] quae X 14 quod] quid $L\,\gamma\,S$ *edd* 15 quae cum lib. vol. arb. condita est $\delta\,a\,e\,l$ 17—18 et omnis—est *om.* α 20 id non TA 21 est facta *edd* 25 ulla *om.* $M\,L$ 26 effabiliter linguis $G\,\beta$

magnum et summum et primum nostrum bonum est manere in illo. Unde autem hoc, nisi quia ille ineffabile bonum est? Quid ergo inveniri potest in nostris peccatis unde ille vituperetur, quando vituperatio peccatorum nostrorum nulla est nisi ille laudetur?

132. Quid, quod etiam in ipsis rebus quae vituperantur 38.
nullius vituperatur nisi vitium? Nullius autem vituperatur vitium nisi cuius natura laudatur. Aut enim secundum naturam est quod vituperas et non est vitium tuque magis emendandus es ut recte vituperare noveris quam illud quod non recte vituperas, aut si vitium est ut recte vituperari possit, etiam contra naturam sit necesse est. **133.** Omne quippe vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Si enim naturae non nocet, nec vitium est; si autem quia nocet ideo vitium est, ideo vitium est quia contra naturam est. Quodsi non suo sed alieno vitio natura corrumpitur, iniuste vituperatur, et quaerendum est utrum illa natura non corrumpatur vitio suo, cuius vitio potuit alia natura corrumpi. Sed quid est aliud vitiari nisi vitio corrumpi? **134.** Porro natura quae non vitiatur caret vitio, cuius autem vitio alia natura corrumpitur habet utique vitium. Prior ergo vitiosa est et prior corrumpitur vitio suo, cuius vitio alia quoque corrumpi potest. Ex quo colligitur contra naturam esse omne vitium, etiam eius rei cuius est vitium. Quapropter, quoniam in quacumque re non vituperatur nisi vitium, ideo autem vitium est quia contra naturam eius rei est cuius est vitium, nullius rei recte vituperatur vitium nisi cuius natura laudatur. Non enim tibi recte in vitio displicet nisi quia vitiat quod in natura placet.

135. Videndum est etiam illud, utrum vere dicatur ali- XIV.
quam naturam naturae alterius vitio corrumpi, nullo adiuncto

---

deest B

---

18 alia] aliena *V Rouen 476 m* 22 aliena *Rouen 476 m* 26 est eius rei *α Y*

vitio suo. Si enim natura quae accedit cum vitio suo ad aliam corrumpendam non in ea corruptibile aliquid invenit, non eam corrumpit; si autem invenit, adiuncto eius vitio corruptionem eius operatur. Potentior enim ab infirmiore si corrumpi nolit non corrumpitur; si autem velit, prius incipit vitio suo corrumpi quam alieno. Aequalis autem ab aequali nihilominus corrumpi si nolit, non potest. **136.** Nam quaecumque natura cum vitio ad eam quae sine vitio est ut corrumpat accedit, eo ipso non aequalis accedit sed infirmior vitio suo. Si vero potentior invalidiorem corrumpit, aut utriusque vitio fit si utriusque prava cupiditate fit, aut vitio potentioris si naturae tanta praestantia est ut inferiorem quam corrumpit etiam vitiosa praecedat. **137.** Quis enim recte vituperaverit fructus terrae quod homines non utantur bene corruptique vitio suo corrumpant eos abutendo ad luxuriam, cum tamen dubitare dementis sit praestantiorem potentioremque esse hominis naturam etiam vitiosam quam non vitiosas quasque fruges?

40. **138.** Potest etiam fieri ut aliquam inferiorem potentior natura corrumpat et hoc nullius earum vitio fiat, si quidem vitium dicimus quod vituperatione dignum est. Quis autem vel frugalem hominem nihil aliud de frugibus quam supplementa naturae quaeritantem vituperare audeat aut easdem fruges quod usu ciborum eius corrumpuntur? Talis enim nec usitate corruptio dicitur, quia maxime vitii nomen solet esse corruptio. **139.** Nam et illud in rebus facile animadverti potest, quod plerumque in nullos usus explendae indigentiae suae natura potentior inferiorem corrumpit, vel iustitiae ordine dum vindicat culpam — ex qua regula illud ab

---

deest B

5—6 suo vitio *Y edd* 7 si corrumpi *α Y a e l* 8 cum *om. M* 9 accedit aequalis *Y edd* 10 si vero] sive *M α F m 1* si autem *S* 14 quod eis *δ (de* uti *c. acc. cf. p. 126, 28. 133, 1)* homines eis *edd* 17 quasque] quoque *α om. β* 22 vel *om. γ* 24 usu] in usu *β* in usum *S* usus *G* corrumpantur *edd*

apostolo dictum est: Si quis templum dei corruperit, corrumpit illum deus —, vel ordine mutabilium rerum sibi cedentium secundum leges congruentissimas pro valentia cuiusque partis universitatis datas. **140.** Neque enim, si cuiusquam oculos pro naturae suae modulo ferendae lucis invalidos sol fulgore corrumpat, aut ad explendam indigentiam sui luminis eos commutare putandus est aut id facere ullo vitio suo aut saltem ipsi oculi vituperandi sunt, quia et domino suo cesserunt ut contra lucem aperirentur et ipsi luci ut corrumperentur. **141.** Omnium igitur corruptionum sola quae vitiosa est corruptio recte vituperatur, ceterae autem aut ne corruptiones quidem dicendae sunt aut certe quia vitiosae non sunt dignae vituperatione esse non possunt. Nam et ipsa vituperatio, quod soli vitio parata, id est apta et debita sit, inde traxisse vocabulum creditur ut vituperatio diceretur.

142. Vitium' autem, ut dicere coeperam, non aliunde malum est nisi quia naturae adversatur eius ipsius rei cuius est vitium. Unde manifestum est hanc eandem rem cuius vitium vituperatur naturam esse laudabilem, ita ut omnino hanc ipsam vituperationem vitiorum naturarum laudem esse fateamur, earum scilicet quarum vitia vituperantur. Quia enim vitium naturae adversatur, tantum additur malitiae vitiorum quantum naturarum integritati minuitur. **143.** Cum ergo vituperas vitium, id profecto laudas cuius integritatem desideras. Cuius autem nisi naturae integritatem? Natura enim perfecta non solum nulla vituperatione sed etiam laude in suo genere digna est. Quod ergo perfectioni naturae deesse perspexeris, id vocas vitium, satis tibi eam placere contestans quam vituperatione imperfectionis eius velles esse perfectam. 41.

1—2 *1 Cor. 3, 17

deest B

1 dictum est ab apostolo *Y edd* 2 corrumpit *M m 1 XK* (φθείρει *DGLPpc*), corrumpet *cet.* (φθερεῖ *cet.*) 3 legem *M α* 4 universitati *β S e l m* 6 aut *om. TCA* 16 ut *om. Migne* 19 natura *T A G L Y e l m* 29 quam ut *α* vituperationem *M C XL m 1* esse] se *TCA*

'. 42. **144.** Si igitur vituperatio vitiorum ipsarum etiam quarum sunt vitia naturarum decus dignitatemque commendat, quanto magis deus conditor omnium naturarum etiam in earum vitiis laudandus est! cum et hoc ab illo habeant quod naturae sunt, et in tantum vitiosae sint in quantum ab eius qua factae sunt arte discedunt, et in tantum vituperentur in quantum earum vituperator artem qua factae sunt videt, ut hoc in eis vituperet quod ibi non videt. **145.** Et si ars ipsa per quam facta sunt omnia, hoc est summa et incommutabilis sapientia dei, vere summeque est, sicuti est, respice quo tendat quidquid ab illa discedit. Qui tamen defectus non esset vituperatione dignus nisi esset voluntarius. Adtende enim, quaeso, utrum recte vituperes quod ita est sicuti esse debuit; non opinor, sed utique quod non ita est ut debuit. Nemo autem debet quod non accepit. Et quisquis debet, cui debet, nisi a quo accepit ut debeat? **146.** Nam et quae redduntur tralegando ei redduntur qui tralegaverit, et quod creditorum iustis successoribus redditur, ipsis utique redditur quibus isti iure succedunt; aliter non redditio, sed cessio vel amissio vel si quid aliud huius modi nominanda est. Quapropter omnia temporalia quae in hoc rerum ordine ita locata sunt ut nisi deficiant non possint praeteritis futura succedere, ut tota temporum in suo genere pulchritudo peragatur, absurdissime dicimus non debere deficere. **147.** Quantum enim acceperunt, tantum agunt, et tantum reddunt ei cui debent quod sunt in quantumcumque sunt. Qui enim dolet ea deficere sermonem suum oportet adtendat, eum certe ipsum quo ista conqueritur,

---

deest B

---

1 vitiorum] rerum α *Y* 6 vituperentur *R V e l m* vituperantur *cet.* 7 in hoc eis *M* in eis hoc *A* 13—14 non opinor—debuit *Euodio tribuit G a* 17 qui] quia *M m 1 T C A* qui ea *M m 2 G S* translegaverat *edd* 19 admissio *M m 2 T C A X K e l m* 20 aliud *om.* γ huiuscemodi δ 21 ita *om. M* α *X K S* 25 sunt] si *M T C A* γ 26 quis γ enim *om. G* γ 27 eo certe ipso α *Y a e l* quo *L K S* quod *M* α *X Y a e l* quo de γ

si iustum et a prudentia profectum esse arbitratur. Cuius sermonis quod ad sonum eius attinet si quis unam particulam diligat nec eam velit ceteris deficiendo locum dare, quibus decedentibus et succedentibus totus sermo ille contexitur, mirabilis dementiae iudicabitur.

148. In his igitur rebus quae ideo deficiunt quia non ultra esse acceperunt, ut suis temporibus omnia peragantur, nemo defectum recte vituperat, quia nemo potest dicere: 'Debuit permanere', cum acceptas metas transire non posset. **149.** In creaturis autem rationalibus, quibus sive peccantibus sive non peccantibus universalis pulchritudo modis congruentissimis terminatur, aut nulla peccata sunt — quod absurdissimum est dicere; peccat enim saltim qui vel damnat quasi peccata quae nulla sunt —, aut non sunt vituperanda peccata — quod nihilominus absurdum est; incipient quippe nec recte facta laudari et tota turbabitur humanae mentis intentio vitamque subvertet —, aut vituperabitur factum quod ita factum est ut debuit, et exsecrabilis insania vel, ut mitius loquar, error miserrimus orietur; **150.** aut si cogit verissima ratio, sicuti cogit, ut et vituperentur peccata et quicquid recte vituperatur ideo vituperetur quia non ita est ut esse debuit, quaere quid debeat natura peccatrix et invenies recte factum, quaere cui debeat et invenies deum. A quo enim accepit posse recte facere cum velit, ab eo accepit ut sit etiam misera, si non fecerit, et beata, si fecerit. 43.

151. Quia enim nemo superat leges omnipotentis creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accepit aut reddit amittendo quod uti noluit bene. Itaque si non reddit faciendo iustitiam, reddet 44.

---

deest B

---

1 a *om.* α 4 ille sermo *Y edd* 10 rationabilibus *XL S edd* 12 aut] ut *XK m 1 F m 1* 18 exsecrabili *M X* 21 est ita *edd* 23 deum] deo *Y* 28—29 quod *(cf. p. 123, 14. 133, 1. 149, 11)* uti noluit bene] quo bene uti noluit *L S edd*

patiendo miseriam, quia in utroque verbum illud debiti sonat. Hoc enim modo dici potuit quod dictum est: 'Si non reddet faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. **152.** Nullo autem intervallo temporis ista dividuntur — ut quasi alio tempore non faciat quod debet et alio patiatur quod debet —, ne vel puncto temporis | universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictae; sed in futurum iudicium servatur ad manifestationem atque ad acerrimum sensum miseriae quicquid nunc occultissime vindicatur. **153.** Sicut enim qui non vigilat dormit, sic quisquis non facit quod debet sine intervallo patitur quod debet, quoniam tanta est beatitudo iustitiae ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere. In omnibus ergo defectibus aut non acceperunt ultra esse quae deficiunt et nulla culpa est — sicut etiam cum sunt, quia non acceperunt amplius esse quam sunt, nihilominus nulla culpa est —, aut nolunt esse, quod, si vellent, esse acceperunt, et quia bonum est, reatus est si nolint.

7I. 45. **154.** Deus autem nulli debet aliquid, quia omnia gratuito praestat. Et si quisquam dicet aliquid ab illo deberi meritis suis, certe ut esset non ei debebatur; non enim erat cui deberetur. Et tamen, quod meritum est converti ad eum ex quo es, ut ex ipso etiam melior sis ex quo habes ut sis? Quid ergo ei praerogas ut tamquam debitum poscas? quando si nolles ad eum converti nihil ei deesset, tibi autem ipse, sine quo nihil esses et ex quo ita es aliquid, ut, nisi convertendo te ad illum reddideris ei quod ab ipso es, non quidem nihil, sed miser tamen eris. **155.** Omnia ergo illi debent: primo

---

7—9 cf. Iudas 6

---

deest B

---

1 verbo illo γ 2 reddet] reddit γ *m* reddet faciendo quod debet *om. M TCA F m 1* 3—5 reddet patiendo—faciat quod debet *om. G* 4 temporis intervallo *edd* 7 dedecus peccati *L* futuro *RV* 8 reservatur *L S* 10 quisque α 11 quoniam] quod *X* 19 ab illo aliquid *Y edd* 21 converte γ 27 eris] sis *L S*

quidquid sunt in quantum naturae sunt, deinde quidquid melius possunt esse si velint quaecumque acceperunt ut velint, et quidquid oportet eas esse. Ex eo igitur quod non accepit, nullus reus est; ex eo vero quod non facit quod debet, iuste reus est. Debet autem, si accepit et voluntatem liberam et sufficientissimam facultatem.

156. Usque adeo autem dum non facit quisque quod 46.
debet nulla culpa est conditoris, ut et laus sit quoniam quod debet patitur, et in eo ipso quod vituperatur non faciendo quod debet non nisi laudetur ille cui debet. Si enim tu laudaris videndo quid facere debeas, cum id non videas nisi in illo qui est incommutabilis veritas, quanto magis ille qui et velle praecepit et posse praebuit et non inpune nolle permisit! **157.** Si enim hoc debet quisque quod accepit, et sic homo factus est ut necessario peccet, hoc debet ut peccet. Cum ergo peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit ut peccet, sed nec aliena. Non enim quisque dum id quod non vult patitur peccat. **158.** Nam si iuste patitur, non in eo peccat quod patitur invitus, sed in eo peccavit quod ita fecit volens ut quod nollet iure pateretur. Si autem iniuste patitur, quo modo peccat? Non enim iniuste aliquid pati sed iniuste aliquid facere peccatum est. Quod si neque sua neque aliena natura peccare quis cogitur, restat ut propria voluntate peccetur. **159.** Quod si tribuere volueris conditori, peccantem purgabis, qui nihil praeter sui conditoris instituta commisit; qui si recte defenditur non peccavit; non ergo est quod tribuas conditori. Laudemus ergo conditorem si potest defendi peccator, laudemus si non potest. Si enim iuste defenditur, non est peccator; lauda ergo creatorem; si

---

10—17 cf. Retract. 1, 8, 3

---

deest B

---

1 *pr.* quidquid] quod α *Y* natura *M XK* γ sunt] erunt *M XK* 10 laudatur *G m* laudares *M m 1* β laudas γ 17 quisquis *edd* 19 invitus *om. A* 23 quis peccare *Y edd*

autem defendi non potest, in tantum peccator est in quantum a creatore se avertit; lauda ergo creatorem. **160.** Omnino igitur non invenio nec inveniri posse et prorsus non esse confirmo, quo modo tribuantur peccata nostra creatori nostro deo, quando et in ipsis eum laudabilem invenio, non solum quod ea punit, sed etiam quod tunc fiunt cum ab eius veritate receditur.

E. Accipio ista libentissime ac probo; et omnino verum esse consentio nullo modo fieri posse ut creatori nostro recte peccata nostra tribuantur.

I. 47. **161.** Sed tamen scire vellem, si fieri posset, quare illa natura non peccet quam non peccaturam praescivit deus, et quare ista peccet quae ab illo peccatura praevisa est. Non enim iam puto ipsa dei praescientia vel illam non peccare vel istam peccare cogi. **162.** Sed tamen si nulla causa esset, non ita dispertiretur creatura rationalis ut alia numquam peccet et alia in peccando perseveret, alia quasi media inter utramque aliquando peccet aliquando ad recte faciendum convertatur. Quae causa in has tres partes eam distribuit? **163.** Sed nolo mihi respondeatur: 'Voluntas'; ego enim causam quaero ipsius voluntatis. Non enim sine causa numquam vult illa peccare, numquam ista non vult, quaedam vero aliquando vult aliquando non vult, cum eiusdem generis omnes sint. Hoc solum enim mihi videre videor, non sine causa esse istam tripartitam voluntatem rationalis creaturae; sed quae causa sit nescio.

48. **164.** *A.* Quoniam voluntas est causa peccati, tu autem causam ipsius voluntatis inquiris, si hanc invenire potuero, nonne causam etiam eius causae quae inventa fuerit quaesiturus es? Et quis erit quaerendi modus, quis finis percontandi

---

deest B

---

2 se a creatore *V δ edd* averterit *FR* 14—15 vel istam peccare vel illam non peccare *G F m 2 RV edd* vel istam peccare *om. M TCA F m 1* 17 et *om. L V edd* 17—18 et—peccet *om. X* 28 inquiris] quaeris *α δ a e* 30 percunctandi *K RV δ edd*

ac disserendi, cum te ultra radicem quaerere nihil oporteat? **165.** Cave enim putes quicquam potuisse dici verius quam id quod dictum est, radicem omnium malorum esse avaritiam, hoc est plus velle quam sat est. Tantum autem sat est quantum sibi exigit naturae in suo genere conservandae modus. **166.** Avaritia enim, quae graece φιλαργυρία dicitur, non in solo argento vel in nummis magis unde nomen duxisse resonat — argento enim nummi aut mixto argento frequentius apud veteres fiebant —, sed in omnibus rebus quae inmoderate cupiuntur intellegenda est, ubicumque omnino plus vult quisque quam sat est. Haec autem avaritia cupiditas est, cupiditas porro inproba voluntas est. **167.** Ergo inproba voluntas malorum omnium causa est. Quae si secundum naturam esset, conservaret utique naturam nec ei perniciosa esset et ideo non esset inproba. Unde colligitur radicem omnium malorum non esse secundum naturam, quod sufficit adversus omnes qui volunt accusare naturas. Tu autem si huius radicis causam requiris, quo modo erit ista radix omnium malorum? Illa enim erit quae huius est causa. Quam cum inveneris, ut dixi, etiam ipsius causam quaesiturus es et quaerendi nullum habebis modum.

168. Sed quae tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim et ipsa voluntas est et a radice ista voluntatis non recedetur, aut non est voluntas et peccatum nullum habet. Aut igitur voluntas est prima causa peccandi aut nullum peccatum est prima causa peccandi. Nec est cui recte inputetur peccatum nisi peccanti. **169.** Non ergo est 49.

2—3 cf. I Tim. 6, 10 22—131, 1 cf. Retract. 1, 8, 3

---

deest B

---

7 unde magis *Y edd* duxisse] traxisse *L S* 8 aut] vel *Y edd* 12 cupiditas *om. α* porro] vero V 19 causa huius est *R V edd* in huius est causa *Y* 22 tandem] tamen *L* 24 receditur *X L γ S edd* 25 ipsa voluntas *edd* 27 nisi peccanti *om. Y* est ergo *e l m*

cui recte inputetur nisi volenti — sed nescio cur aliud te quaerere libeat. Deinde quaecumque illa causa est voluntatis, aut iusta profecto est aut iniusta. Si iusta, quisquis ei optemperaverit non peccabit; si iniusta, non ei optemperet et non peccabit.

50. **170.** An forte violenta est et cogit invitum? Num eadem totiens replicaturi sumus? Reminiscere superiorum quae a nobis tam multa de peccato et voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare memoriae, hoc brevissimum tene. Quaecumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur et non peccabitur. **171.** An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.

51. **172.** Et tamen etiam per ignorantiam facta quaedam inprobantur et corrigenda iudicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci; ait et propheta: Delicta iuventutis et ignorantiae meae ne memineris. Sunt etiam necessitate facta inprobanda, ubi vult homo recte facere et non potest. **173.** Nam unde sunt illae voces: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago; et illud: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio; et illud: Caro

---

19—20 I Tim. 1, 13 21—22 *Psalm 24, 7 24—25 *Rom. 7, 19 25—26 Rom. 7, 18 26—132, 3 *Gal. 5, 17

10—16 cf. Nat. et Grat. 67, 80 17—132, 21 cf. Retract. 1, 8, 5 17—19, 23—25 cf. Nat. et Grat. 67, 81

---

deest B

---

1 nisi volenti *om. L* nisi voluntati *Retract.* 2 illa *om. L* 6 an—invitum *Euodio tribuunt XLS* 10 est causa *LS* 12 an—incautum *et* an—possit *Eudio tribuit X* 14 si ita est nulla] nulla ergo *Nat. et Grat.* 21 iuventutis meae *δ ex Vulg.* 25 odi *LS Retract. Nat. et Grat.* nolo *cet. cum Vulg.*

concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem; haec enim invicem adversantur, ut non ea quae vultis faciatis? Sed haec omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium; nam si non est ista poena hominis sed natura, nulla ista peccata sunt. **174.** Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est ita ut melius esse non possit, ea quae debet facit cum haec facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset. Nunc autem quia ita est, non est bonus nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo et non valendo esse qualem debere esse se videt. **175.** Poenam istam esse quis dubitet? Omnis autem poena si iusta est peccati poena est et supplicium nominatur; si autem iniusta poena est, quoniam poenam esse nemo ambigit, iniusto aliquo dominante homini imposita est; porro quia de omnipotentia dei et iustitia dubitare dementis est, iusta haec poena est et pro peccato aliquo penditur. **176.** Non enim quisquam iniustus dominator aut subripere hominem potuit velut ignoranti deo aut extorquere invito tamquam invalidiori vel terrendo vel confligendo, ut hominem iniusta poena cruciaret. Relinquitur ergo ut haec poena iusta de damnatione hominis veniat.

177. Nec mirandum est quod vel ignorando non habet 52.
arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quod recte faciat, vel resistente carnali consuetudine, quae violentia mortalis successionis quodam modo naturaliter inolevit, videat quid recte faciendum sit et velit nec possit implere. **178.** Illa est

---

3—5 cf. Nat. et Grat. 67, 81 21—133, 12 cf. Nat. et Grat. 67, 81

---

deest B

---

1 et spiritus] spiritus autem *Y edd. Retract. Vulg.* 4 est *om. TCA* 8 si aliter *M L m 1 K γ m* 16 iusta est haec poena est *M* iusta est haec poena *γ* 18 dominator] dominatur *L S Retractationum sex codd* 20 confligendo] conturbando *δ* 21 iusta poena *e l m* 22 habeat *l m* 23 eligenda quae *X* 25 quidquid *M*

enim peccati poena iustissima, ut amittat quisque quod bene uti noluit cum sine ulla posset difficultate si vellet; id est autem ut qui sciens recte non facit amittat scire quid rectum sit, et qui recte facere cum posset noluit amittat posse cum velit. Nam sunt re⁀vera omni peccanti animae duo ista poenalia, ignorantia et difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus adfligit. **179.** Sed adprobare falsa pro veris ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis sed poena damnati. Cum autem de libera voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est loquimur.

X. 53. **180.** Hic occurrit illa quaestio quam inter se murmurantes homines rodere consuerunt qui quodlibet aliud in peccando quam se accusare parati sunt. Dicunt enim: 'Si Adam et Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiae caecitate et difficultatis cruciatibus nasceremur et primo erraremus nescientes quid nobis esset faciendum, deinde ubi nobis inciperent aperiri praecepta iustitiae, vellemus ea facere et retinente carnalis concupiscentiae nescio qua necessitate non valeremus?' **181.** Quibus breviter respondetur ut quiescant et adversus deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quererentur si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret. Cum vero ubique sit praesens qui multis modis per creaturam sibi domino servientem aversum vocet doceat credentem consoletur sperantem diligentem adhortetur conantem adiuvet exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod neglegis

7—12 Retract. 1, 8, 5 19—20 cf. Conf. 8, 11, 26 21—134, 2 cf. Nat. et Grat. 67, 81

deest B

1 unus quisque δ quod *(cf. p. 126, 28)*] quo δ *L edd Nat. et Grat.* 3 quid] quod *XK* 14 homines *om. L* consueverunt *Y m* 15 dicunt enim *om.* γ dicunt illi *X* 20 retinente] renitente *LK Y edd* 21 valemus *M F m 1* 25 domino *om.* γ

quaerere quod ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis; ista tua propria peccata sunt. **182.** Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quaeri quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse inbecillitatem, ut quaerenti et confitenti ille subveniat qui nec errat dum subvenit nec laborat.

183. Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, 54.
et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata quia de peccato illo liberae voluntatis originem ducunt; illud enim praecedens meruit ista sequentia. **184.** Nam sicut linguam dicimus non solum membrum quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huius membri motum consequitur — id est formam tenoremque verborum secundum quem modum dicitur alia lingua graeca alia latina —, sic non solum peccatum illud dicimus quod proprie peccatum vocatur — libera enim voluntate et ab sciente committitur —, sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est. **185.** Sic etiam ipsam naturam aliter dicimus cum proprie loquimur naturam hominis in qua primum in suo genere inculpabilis factus est, aliter istam in qua ex illius damnati poena et mortales et ignari et carni subditi nascimur, iuxta quem modum dicit apostolus: Fuimus enim et nos naturaliter filii irae sicut et ceteri.

186. Ut autem de illo primo coniugio et cum ignorantia 55.
et cum difficultate et cum mortalitate nascamur, quoniam illi cum peccavissent et in errorem et in erumnam et in mortem praecipitati sunt, rerum moderatori deo iustissime placuit, ut et in ortu hominis originaliter appareret iustitia punientis et in provectu misericordia liberantis. Non enim damnato primo

---

18—23 cf. Nat. et Grat. 67, 81 22—23 *Eph. 2, 3

---

deest B

---

3 enim *om.* γ hominum *L R V* δ 4 quaeri *om.* α quod utiliter *M K* quod non utiliter *Y* 15—16 vocatur peccatum *edd* 16 ab] a α δ 21 damnatae γ 22 enim *om. X* 26 erumpnam *A V* δ

homini sic adempta est beatitudo ut etiam fecunditas adimeretur; poterat enim et de prole eius quamvis carnali et mortali aliquod in suo genere fieri decus ornamentumque terrarum. **187.** Iam vero ut meliores gigneret quam ipse esset non erat aequitatis. Sed ex conversione ad deum ut vinceret quisque supplicium quod origo eius ex aversione meruerat, non solum volentem non prohiberi sed etiam adiuvari oportebat. Etiam sic enim rerum creator ostendit quanta facilitate potuisset homo, si voluisset, retinere quod factus est, cum proles eius potuit etiam superare quod nata est.

56. **188.** Deinde si una anima facta est ex qua omnium hominum trahuntur nascentium, quis potest dicere non se peccasse cum primus ille peccavit? Si autem singillatim fiunt in uno quoque nascentium, non est perversum, immo convenientissimum et ordinatissimum apparet ut malum meritum prioris natura sequentis sit et bonum meritum sequentis natura prioris sit. **189.** Quid enim indignum si etiam sic voluit creator ostendere usque adeo excellere creaturis corporeis animae dignitatem ut ab eo gradu possit esse ortus alterius ad quem alterius est perductus occasus? Nam cum ad ignorantiam difficultatemque pervenerit illa peccatrix, ideo poena recte dicitur quia melior ante hanc poenam fuit. **190.** Si ergo altera talis esse coepit, non solum ante peccatum sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet unde conditori suo gratias agat, quia ipse ortus eius et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt non solum quod anima est, qua natura iam corpus omne praecedit, sed etiam quod facultatem habet ut adiuvante creatore se ipsam excolat et pio studio possit omnes adquirere et capere virtutes per quas

---

deest B

---

7 etiam *om.* *C m 2 X γ δ* 11 animae omnium hominum *G* omnium hominum animae *edd* 20 perductus est *Y edd* 25 parum *M G γ Y* 28 qua] quae *X m 2* omne corpus *Y edd*

et a difficultate cruciante et ab ignorantia caecante liberetur. **191.** Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale iudicium quo sapientiam praeponat errori et quietem difficultati, ut ad haec non nascendo sed studendo perveniat. Quod si agere noluerit, peccati rea iure tenebitur, tamquam quae non bene usa sit ea facultate quam accepit. **192.** Quamquam enim in ignorantia et difficultate nata sit, non tamen ad permanendum in eo quod nata est aliqua necessitate conprimitur. Neque omnino potuit nisi deus omnipotens esse etiam talium creator animarum quas et non dilectus ipse faciat et dilectus ipse perficiat, qui et non existentibus praestat ut sint et amantibus eum a quo sunt praestat ut beatae sint.

193. Si vero in dei aliquo secreto iam existentes animae 57.
mittuntur ad inspiranda et regenda corpora singulorum quorumque nascentium, ad hoc utique mittuntur officium, ut corpus, quod de poena peccati, hoc est mortalitate primi hominis nascitur, bene administrando, id est castigando per virtutes, et ordinatissimae atque legitimae servituti subiciendo, etiam ipsi comparent ordine ac tempore oportuno caelestis incorruptionis locum. **194.** Quae cum introeunt in hanc vitam subeuntque gestanda membra mortalia, subeant etiam necesse est et oblivionem vitae prioris et praesentis laborem; unde illa ignorantia et difficultas consequetur, quod in primo homine supplicium mortalitatis fuit ad animi expendendam miseriam, in istis autem ianua ministerii ad reparandam corporis incorruptionem. **195.** Nam hoc quoque modo non

---

deest B

---

4 ante *om.* *X* 6 hanc *α* 13 faciat et diligens eas reficiat et *edd* *alt.* dilectus] dilectas *G X* 16 aliquo dei *L S* 17 spiranda *L X* 22 ordinem *γ* ac] atque *edd* 24 membra] corpora *L S* 26 consequitur *X R V Y edd* 27 explendam *m mg* 28 mysterii *X*

dicuntur ista peccata nisi quia caro de propagine veniens peccatoris venientibus ad se animis hanc ignorantiam et difficultatem facit, quae neque his neque creatori tamquam culpanda tribuatur. **196.** Dedit enim ille et facultatem bene operandi in laboriosis officiis et viam fidei in oblivionis caecitate, iudicium illud vel maxime, quod anima omnis et quaerendum esse concedit quod inutiliter nescit et perseveranter in officiosis laboribus enitendum ad evincendam recte faciendi difficultatem et opem a creatore inplorandam ut conantem adiuvet, qui vel extrinsecus lege vel in intimis cordis allocutione conandum esse praecepit et praeparat civitatis beatissimae gloriam triumphantibus de illo qui primum hominem ad istam miseriam perduxit victum pessima suasione; quam miseriam isti suscipiunt ad eum vincendum optima fide. **197.** Non enim parvae gloriae militia est diabolum vincere eodem suscepto supplicio quo se ille hominem victum perduxisse gloriatur. Quisquis autem hoc istius vitae captus amore neglexerit, nullo pacto iuste flagitium desertionis suae regis imperio deputabit, sed erit potius sub omnium domino in eius partibus ordinatus cuius turpe stipendium ut castra sua desereret adamavit.

58. **198.** Si autem alibi animae constitutae non mittuntur a domino deo, sed sua sponte ad inhabitanda corpora veniunt, facile est iam hoc videre, quicquid ignorantiae difficultatisque secutum fuerit earum propriam voluntatem, nullo modo creatorem hinc esse culpandum, quandoquidem, etiam si eas ipse misisset, quibus etiam in ipsa ignorantia et difficultate liberam voluntatem petendi et quaerendi et conandi non abstulit daturus petentibus demonstraturus quaerentibus pulsantibus aperturus, omnino extra culpam esset. **199.** Hanc

---

deest B

---

6 iudicium] indicium *X F m2 R V S l* anime omnis *M m 1* anime omni *M m 2* animae omni *γ* 8 evincendum *γ* 10 in intimis] intimi *γ δ* 15 optima] opima *X* 16 susceptum *L S* 23 deo *om. α δ*

enim ignorantiam et difficultatem studiosis et benevolis evincendam ad coronam gloriae valere praestaret, neglegentibus autem et peccata sua de infirmitate defendere volentibus non ipsam ignorantiam difficultatemque pro crimine obiceret, sed, quia in eis potius permanere quam studio quaerendi atque discendi et humilitate confitendi atque orandi ad veritatem ac facilitatem pervenire voluerunt, iusto supplicio vindicaret.

200. Harum autem quatuor de anima sententiarum, XXI. utrum de propagine veniant an in singulis quibusque nascentibus novae fiant an in corpora nascentium iam alicubi existentes vel mittantur divinitus vel sua sponte labantur, nullam temere adfirmare oportebit. Aut enim nondum ista quaestio a divinorum librorum catholicis tractatoribus pro merito suae obscuritatis et perplexitatis evoluta atque inlustrata est, aut si iam factum est nondum in manus nostras huiuscemodi litterae pervenerunt. **201.** Tantum adsit fides nihil de substantia creatoris falsum indignumque sentiendi. Ad illum enim tendimus itinere pietatis. Si ergo aliud de illo senserimus quam est, intentio nostra non in beatitatem sed in vanitatem nos ire conpellet. De creatura vero si quid aliter quam sese habet senserimus, dummodo id non pro cognito perceptoque teneamus, nullum periculum est. **202.** Non enim ad creaturam iubemur tendere ut efficiamur beati, sed ad ipsum creatorem, de quo si aliud quam oportet ac sese res habet nobis persuadetur, perniciosissimo errore decipimur. Ad hoc enim pergendo quod aut non est aut, si est, non facit beatos, ad beatam vitam pervenire nullus potest.

203. Sed ad contemplandam veritatis aeternitatem, ut ea 60.

---

8 cf. Epist. 166, 7

---

deest B

---

7 voluerunt] maluerunt *L S* noluerunt *γ* 8 quattuor *TAG γ* 11 mittuntur *γ* 15 est *om. X* 20 conpellit *M L* 21 se *α Y* non id *edd* 24—25 de quo aliud—si nobis *γ* habeat nobis persuadeatur *G* 27 nullus pervenire *edd*

perfrui eique inherere valeamus, infirmitati nostrae via de temporalibus procurata est ut, quantum itineri sufficit ad aeterna tendentium, praeterita et futura credamus — quae fidei disciplinā ut auctoritate praepolleat divinā misericordiā gubernatur —, praesentia vero, quantum ad creaturam pertinet, in corporis et animi mutabilitate et mobilitate quasi transeuntia sentiuntur, in quibus quicquid non experimur cognitione qualicumque tenere non possumus. **204.** Quaecumque ergo nobis de quibuscumque creaturis vel praeterita vel futura divina auctoritate credenda narrantur, quamvis partim priusquam ea sentire potuerimus praeterierint, partim in nostros sensus pervenerint, tamen quia plurimum valent ad roborandam spem nostram et exhortandam dilectionem, dum nobis commendant per ordinatissimam temporum seriem, quam non neglegat liberationem nostram deus, sine ulla dubitatione credenda sunt. **205.** Sed quisquis error personam sibi divinae auctoritatis adsumit, ea maxime ratione refellitur si aut aliquam vel mutabilem speciem praeter creaturam dei aut aliquam mutabilem speciem in substantia dei credere aut adfirmare convincitur eamque substantiam dei vel plus vel minus quam trinitatem esse contendit; cui trinitati pie sobrieque intellegendae omnis excubat vigilantia christiana et omnis eius provectus intenditur. **206.** De cuius trinitatis unitate et aequalitate et singularum in ea personarum quadam proprietate non hic locus est disserendi. Nam commemorare quaedam de domino deo auctore et formatore et ordinatore rerum omnium, quae ad saluberrimam fidem pertineant et quibus lactens atque a terrenis in caelestia sese attollere incipiens utiliter adminiculetur intentio, et factu facillimum et a plerisque iam factitatum est. **207.** Pertractare autem totam

deest B

2 itinere *M TCA X* 6 mobilitate et mut. *δ edd* 13 exortandum *M C XK FV Y* 14 seriem temporum *edd* 24 et unitate *L S* 27 pertinent *L* 28 extollere *C* 30 factum est *α Y a* 30—140, 1 istam totam *edd*

istam atque ita versare quaestionem ut perspicuae rationi, quantum in hac vita datur, omnis humana intellegentia subiugetur, non modo eloquio sed ne cogitatione quidem vel cuiquam hominum vel certe nobis satis expeditum et facile adgrediendum videri potest.

208. Nunc ergo ut quod instituimus, quantum adiuvamur et quantum sinimur peragamus: quaecumque nobis quantum ad creaturam pertinet vel narrantur praeterita vel praenuntiantur futura, quae ad commendandam valeant integram religionem excitando nos ad sincerissimam dilectionem dei et proximi, sine dubitatione credenda sunt, **209.** adversus incredulos autem hactenus defendenda ut vel mole auctoritatis infidelitas eorum obteratur vel eis ostendatur, quantum potest, primo quam non sit stultum talia credere, deinde quam sit stultum talia non credere. Verum tamen falsam doctrinam non tam de praeteritis et futuris quam de praesentibus et maxime de incommutabilibus oportet refellere et quantum datur perspicua ratione convincere.

210. Sane in serie temporalium inquisitioni praeteri- 61.
torum futurorum exspectatio praeferenda est, quandoquidem etiam in divinis libris ea, quae praeterita narrantur, vel praefigurationem futurorum vel pollicitationem vel testificationem prae se gerunt. Et re vera in his etiam, quae ad hanc vitam pertinent prosperis adversisve rebus, quid quisque fuerit non satis curat; in id vero quod futurum speratur sese omnis curarum aestus adglomerat. **211.** Nescio quo quippe intimo naturalique sensu ea quae nobis acciderunt, quoniam transacta sunt, sic habentur ad momentum felicitatis et miseriae quasi numquam accidissent. Quid ergo mihi obest si esse quando coeperim nescio, cum esse me noverim nec futurum

---

deest B

---

19 serie] miseriae *M X* miseria *α δ a e* 23 praesagarunt *Y* 24 adversisque *edd* 26 adglomerat *M FR* agg- *cet.* 28 monimentum *F m 2 RV* 29 ergo] igitur *edd*

esse desperem? Non enim in praeterita me adtendo, ut tamquam errorem perniciossimum verear si aliter de his sensero quam fuerunt; sed in id quod futurus sum cursum dirigo duce misericordia conditoris mei. **212.** De hoc igitur quod futurus sum et de illo apud quem futurus sum si aliter quam veritas sese habet credidero aut sensero, vehementer cavendus est error, ne mihi aut necessaria non praeparem aut ad eum ipsum finem propositi mei, dum aliud pro alio mihi videtur, pervenire non possim. Quam ob rem, sicut ad comparandam vestem nihil mihi obesset si praeteritae hiemis oblitus essem, obesset autem si futurum frigus imminere non crederem, ita nihil oberit animae meae si oblita est quid forte pertulerit, si modo diligenter advertat et teneat quo se deinceps parare moneatur. **213.** Et sicut verbi gratia Romam naviganti nihil noceret si excidisset animo a quo litore navem solverit, dum tamen ab eo loco ubi esset non ignoraret quo proram dirigeret, nihil autem prodesset meminisse litoris unde iter exorsus sit si de Romano portu falsum aliquid existimans in saxa incidisset, ita neque si non tenuero initium temporis vitae meae quicquam mihi oberit scienti quo fine requiescam, nec prodesset aliquid illa sive memoria sive coniectura inchoatae vitae si de ipso deo qui unus laborum animae finis est aliter quam dignum est opinatus in scopulos erroris inruerem.

62. **214.** Nec iste sermo ad id valuerit ut quisquam nos prohibere arbitretur ut quaerant qui poterunt secundum scripturas divinitus inspiratas, utrum anima de anima propagetur an suo cuique animanti singulae in ipso fiant an ad regendum animandumque corpus divino nutu alicunde mit-

---

deest B

---

9 parandam *X* 12 oberit *om. F m 1* nocebit *F m 2 R V* 15 navim *γ δ* 17 iter] item *M α* 22 unus] minus *M m 1 C m 1* munus et *γ* 26 poterunt *L K F m 1 S* potuerunt *M F m 2 R V* potuerint *α X Y* 29 aliunde *T C A*

tantur vel propria voluntate se insinuent, si vel alicuius expediendae necessariae quaestionis ratio flagitat ista considerare atque discutere vel a rebus magis necessariis otium ad haec quaerenda et disserenda conceditur; **215.** verum ad id potius ista dixerim, ne quis in re tali vel temere succenseat ei qui suae opinioni humaniore fortasse dubitatione non cedit, aut etiam si quid hinc certi quisquam et liquidi conprehenderit ideo putet alium spem perdidisse futurorum quia praeterita exorsa non recolit.

216. Quoquo modo autem se istuc habeat, sive omnino XX omittendum sive nunc differendum et alias considerandum sit, praesens tamen quaestio non impeditur quominus appareat integerrima et iustissima et inconcussa atque incommutabili maiestate et substantia creatoris supplicia peccatorum suorum animas luere. Quae peccata, ut iam diu disserimus, non nisi propriae voluntati earum tribuenda sunt nec ulla ulterior peccatorum causa quaerenda.

217. Ignorantia vero et difficultas si naturalis est, inde 64. incipit anima proficere et ad cognitionem et requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri. Quem profectum in studiis optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata est, si propria voluntate neglexerit, iuste in graviorem quae iam poenalis est ignorantiam difficultatemque praecipitatur, decentissimo et convenientissimo rerum moderamine in inferioribus ordinata. **218.** Non enim quod naturaliter nescit et naturaliter non potest, hoc animae deputatur in reatum, sed quod scire non studuit et quod dignam facilitati conparandae ad recte faciendum operam non dedit. Loqui enim non nosse atque non posse infanti naturale est; quae ignorantia diffi-

---

deest B

---

3 discutere atque considerare *L S* 5 susceseat *M m 1* susceseat *TCA* suscenseat *F* 7 conprehenderit] appre- *X* 10 istud *C X F m 2 R V m* 15 disseruimus *TCA δ edd* 25 ordinatam *V* ordinante *a e l* 29 quae et *M X γ*

cultasque sermonis non modo inculpabilis sub grammaticorum legibus sed etiam humanis adfectibus blanda atque grata est; non enim ullo vitio illam facultatem comparare neglexit aut ullo vitio quam compararat amisit. **219.** Itaque si nobis in eloquentia esset beatitudo constituta atque ita crimini duceretur cum peccatur in linguae sonis quem ad modum cum peccatur in actibus vitae, nullus utique argueretur infantiae quod ab ea esset exorsus ad consequendam eloquentiam, sed plane merito damnaretur si suae voluntatis perversitate vel ad eam recidisset vel in ea remansisset. **220.** Sic etiam nunc, si ignorantia veri et difficultas recti naturalis est homini unde incipiat in sapientiae quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit; sed si proficere noluerit aut a profectu retrorsum relabi voluerit, iure meritoque poenas luet.

65. **221.** Creator vero eius ubique laudatur, vel quod ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit vel quod eius profectum adiuvet vel quod impleat proficientem atque perficiat vel quod peccantem, id est aut ab initiis suis sese ad perfectionem adtollere recusantem aut iam ex profectu aliquo relabentem, iustissima damnatione pro meritis ordinat. **222.** Non enim propterea malam creavit quia nondum tanta est quanta ut proficiendo esse posset accepit, cum eius exordio perfectiones omnes corporum longe inferiores sint, quas tamen in suo genere laudabiles esse iudicat quisquis sanissime iudicat. Quod ergo ignorat quid sibi agendum sit, ex eo est quod nondum accepit; sed hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit bene usa fuerit. Accepit autem ut dili-

---

deest B

---

1 inculpabiles *M* 2 atque] et *Y edd* . 4 compararat] comparat *CG* comparavit *R* comparaverat *Y a e l* 7 nullus utique argueretur infantia *M m 1 F m 1* nullius u. a. infantia *M m 2 F m 2 RV* nullus u. a. in infantia *X* 17—18 vel—adiuvet *om. RV* 22 ordinet *G L* 23—24 cum eius] cuius *FV* cum *R* 25 sunt *F m 2 RV* 26 ignorat ergo *M* 28 si eo *LK S* 28—144, 1 pie et diligenter *Y edd*

genter et pie quaerat si volet. Et quod agnoscens quid sibi agendum sit non continuo valet implere, hoc quoque nondum accepit. **223.** Praecessit enim pars quaedam eius sublimior ad sentiendum recte facti bonum, sed quaedam tardior atque carnalis non consequenter in sententiam ducitur, ut ex ipsa difficultate admoneatur eundem implorare adiutorem perfectionis suae quem inchoationis sentit auctorem, ut ex hoc ei fiat carior dum non suis viribus, sed, cuius bonitate habet ut sit, eius misericordia sublevatur ut beata sit. Quanto autem carior illi est a quo est, tanto in eo firmius adquiescit et tanto uberius eius aeternitate perfruitur. **224.** Si enim arboris novellum et rude virgultum nullo modo recte sterile dicimus, quamvis aliquot aestates sine fructibus traiciat donec oportuno tempore expromat feracitatem suam, cur non auctor animae debita pietate laudetur si ei tale tribuit exordium, ut studendo ac proficiendo ad frugem sapientiae iustitiaeque perveniat, tantumque illi praestitit dignitatis, ut in eius etiam potestate poneret, si vellet, ad beatitudinem tendere?

225. Huic autem disputationi obici ab imperitis solet XXI quaedam calumnia de mortibus parvulorum et de quibusdam cruciatibus corporis quibus eos saepe videmus adfligi. Dicunt enim: 'Quid opus erat ut nasceretur qui antequam iniret ullum vitae meritum excessit e vita? Aut qualis in futuro iudicio deputabitur cui neque inter iustos locus est, quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit?' **226.** Quibus respondetur ad universitatis complexum et totius creaturae vel per locos vel per tempora ordinatissimam conexionem non posse superfluum creari qualemcumque hominem, ubi folium arboris nullum superfluo crearetur, sed

---

20—21 cf. Epist. 226, 8

---

deest B

---

3 quaedam pars *Y edd* 4 recte facti] recte facit *M TCA K e* quod recte faciat *γ l m* 8 bonitatem *M α XK* 11 aeternitate eius *Y edd* si] sicut *M* 28 superfluo *LK e l m* 29 creatur *γ Y l m*

sane superfluo quaeri de meritis eius qui nihil meruerit. Non enim metuendum est ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum et sententia iudicis media esse non possit inter praemium atque supplicium.

67. **227.** Quo loco etiam illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid parvulis prosit, cum eo accepto plerumque moriuntur priusquam ex eo quicquam cognoscere potuerint. Qua in re satis pie recteque creditur prodesse parvulo eorum fidem a quibus consecrandus offertur. **228.** Et hoc ecclesiae commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium qui propriam nondum habent potest a te commodari. Quid enim filio viduae profuit fides sua, quam utique mortuus non habebat, cui tamen profuit matris ut resurgeret? Quanto ergo potius fides aliena potest consulere parvulo, cui sua perfidia non potest imputari!

68. **229.** De cruciatibus autem corporis quibus affliguntur parvuli quorum per aetatem nulla peccata sunt, si animae quibus animantur non prius quam ipsi homines esse coeperunt, maior querela et quasi misericors deponi solet, cum dicitur: 'Quid mali fecerunt ut ista paterentur?' Quasi possit esse innocentiae meritum antequam quisque nocere aliquid possit! **230.** Cum autem boni aliquid operatur deus in emendatione maiorum, cum parvulorum suorum qui eis cari sunt doloribus ac mortibus flagellantur, cur ista non fiant, quando cum transierint pro non factis erunt in quibus facta sunt, propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si tem-

---

13—15 cf. Luc. 7, 12—15 17—146, 12 cf. Epist. 166, 18

---

deest B

---

8 potuerunt *M TA K γ Y* 12 beneficio *γ* 13 potest a te commodari *M m 2* potestate commodari *M m 1 TCA* potest accommodari *G LK* potestatem commodarit *F* potestatem commoda sit *RV* potest aliena accomodari *S* potest aliena commodari *Y edd* possunt commodari *X* 22 aliquid nocere *Y edd*

poralibus incommodis emendati rectius elegerint vivere, aut excusationem in futuri iudicii supplicio non habebunt, si vitae huius angoribus ad aeternam vitam desiderium convertere noluerunt? **231.** Quis autem novit quid parvulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contunditur aut exercetur fides aut misericordia probatur, quis ergo novit quid ipsis parvulis in secreto iudiciorum suorum bonae conpensationis reservet deus, quoniam, quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt? Non enim frustra etiam infantes illos, qui, cum dominus Iesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honore martyrum receptos commendat ecclesia.

232. Quamquam isti calumniosi et talium quaestionum non studiosissimi examinatores sed loquacissimi ventilatores etiam de pecorum doloribus et laboribus solent minus eruditorum fidem sollicitare, cum dicunt: 'Quid etiam pecora vel meruerunt mali ut tanta patiantur incommoda vel sperant boni quia tantis exercentur incommodis?' **233.** Sed haec dicunt vel sentiunt qui iniquissime de rebus existimant, qui, cum summum bonum quod et quantum sit aspicere nequeant, talia volunt esse omnia quale putant esse summum bonum. Praeter enim summa corpora quae caelestia sunt minusque corruptioni subiacent summum bonum cogitare non possunt ideoque inordinatissime flagitant ut nec mortem nec ullam corruptionem patiantur corpora bestiarum, quasi non sint mortalia, cum sint infima, aut ideo mala sint quia sunt caelestia meliora. **234.** Dolor autem quem bestiae sentiunt animarum etiam bestialium vim quandam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipso enim satis apparet

69.

10—11 cf. Matth. 2, 16

---

deest B

---

4 noluerint *X e l m* 8 quoniam] qui *γ l m* 11 honore *M X γ Y (v. Thes. s. v. in p. 798, 31)* honorem *cet.* 16 sollicitare fidem *Y edd* 18 haec *om. α* 19 vel sentiunt *om. L*

in regendis animandisque suis corporibus quam sint adpententes unitatis. Quid est enim aliud dolor nisi sensus divisionis vel corruptionis inpatiens? **235.** Unde luce clarius apparet quam sit illa anima in sui corporis universitate avida unitatis et tenax, quae nec libenter nec indifferenter sed potius renitenter et reluctanter intenditur in eam passionem corporis sui qua eius unitatem atque integritatem labefactari moleste accipit. **236.** Non ergo appareret quantus inferioribus creaturis animalibus esset appetitus unitatis nisi dolore bestiarum. Quod si non appareret, minus quam opus esset admoneremur ab illa summa et sublimi et ineffabili unitate creatoris esse ista omnia constituta.

70. **237.** Et re vera si pie ac diligenter attendas, omnis creaturae species et motus qui in animi humani considerationem cadit eruditionem nostram loquitur, diversis motibus et adfectionibus quasi quadam varietate linguarum undique clamans atque increpans cognoscendum esse creatorem. Nulla enim res est earum quae nec dolorem nec voluptatem sentiunt quae non aliqua unitate decus proprii generis adsequitur vel omnino naturae suae qualemcumque stabilitatem. **238.** Nulla item res est earum quae vel doloris molestias vel blanditias sentiunt voluptatis, quae non, eo ipso quo dolorem fugiunt voluptatemque appetunt, diremptionem se fugere unitatemque appetere fatentur. Inque ipsis rationalibus animis omnis appetitus cognitionis, qua illa natura laetatur, et ad unitatem refert omne quod percipit et in errore nil fugit aliud quam incomprehensibili ambiguitate confundi. Omne autem ambiguum unde molestum est, nisi

---

deest B

---

6 intendit $\gamma\,\delta$ 7 quam $M\,\alpha\,X$ 8 in inferioribus S 9 animalibus *om.* $\delta\,F\,m\,2\,RV$ 12 omnia ista *edd* 14 qui] quae $M\,\beta\,\gamma$ 15 a diversis $M\,\alpha\,a\,e$ 19 unitate] virtute δ adsequitur] adsequatur XLS 22 in eo $\alpha\,Y$ 23 quo] quod $G\,V\,Y$ fugit—appetit $G\,F\,m\,2\,RV\,l\,m$ 24 fatentur $M\,\alpha$ (-etur G) LK fateantur XF (-atur $m\,2\,RV$) δ 25 qua] quia TCA 27 nihil $\beta\,S$

quia certam non habet unitatem? **239.** Ex quo apparet omnia, sive cum offendunt vel offenduntur sive cum delectant vel delectantur, unitatem insinuare atque praedicare creatoris. Si autem ignorantia et difficultas, a quibus istam vitam necesse est incipere, non sunt animis naturales, restat ut aut officio susceptae sint aut inrogatae supplicio. De quibus iam satis esse arbitror disputatum.

240. Quapropter ipse primus homo qualis factus sit magis quaerendum est quam quo modo eius posteritas propagata sit. Multum enim sibi videntur acute proponere quaestionem qui dicunt: 'Si sapiens factus est primus homo, cur seductus est? Si autem stultus factus est, quo modo non est deus auctor vitiorum, cum sit stultitia maximum vitium?' **241.** Quasi vero natura humana praeter stultitiam et sapientiam nullam mediam recipiat adfectionem quae nec stultitia nec sapientia dici possit. Tunc enim homo incipit aut stultus esse aut sapiens ut alterum horum necessario appelletur, cum iam posset nisi neglegeret habere sapientiam, ut vitiosae stultitiae sit voluntas rea. **242.** Non enim quisquam ita desipit ut stultum appellet infantem, quamvis sit absurdior si velit appellare sapientem. Ut ergo infans nec stultus nec sapiens dici potest quamvis iam homo sit — ex quo apparet naturam hominis recipere aliquid medium quod neque stultitiam neque sapientiam recte vocaris —, ita etiam si quisquam tali adfectione animatus esset qualem habent illi qui per neglegentiam sapientia carent, nemo eum stultum recte diceret quem non vitio sed natura talem videret. **243.** Est enim stultitia rerum adpetendarum et vitandarum non quaelibet sed vitiosa ignorantia. Unde neque animal inrationale stultum dicimus, quia non accepit ut sapiens esse posset. Appellamus

XX

deest B

5 animis *om. M α* 9 quam] non *α* 17 ut] aut *α* appellatur *M m 1 α* 18 ut] aut *C, om. M* 24 vocaris *M α XK* voceris *F m 1* vocaveris *L F m 2 RVS* potest appellari *Y a e* 28 et vitandarum *om. X* 30 accipit *TS* possit *δ*

tamen plerumque ex similitudine aliquid non proprie. Nam et caecitas cum maximum vitium sit oculorum, non tamen in catulis nascentibus vitium est nec proprie caecitas dici potest.

72. **244.** Si ergo ita factus est homo ut, quamvis sapiens nondum esset, praeceptum tamen posset accipere cui utique optemperare deberet, nec illud iam mirum est quod seduci potuit, nec illud iniustum quod praecepto non obtemperans poenas luit; nec creator eius auctor vitiorum est, quia non habere sapientiam nondum erat vitium hominis, si nondum ut habere posset acceperat. **245.** Sed tamen habebat aliquid quo si bene uti vellet ad id quod non habebat ascenderet. Aliud est enim esse rationalem aliud esse sapientem. Ratione fit quisque praecepti capax, cui fidem debet, ut quod praecipitur faciat. Sicut autem natura rationis praeceptum capit, sic praecepti observatio sapientiam. Quod est autem natura ad capiendum praeceptum, hoc est voluntas ad observandum. **246.** Et sicut rationalis natura tamquam meritum est praecepti accipiendi, sic praecepti observatio meritum est accipiendae sapientiae. Ex quo autem incipit homo praecepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus autem modis peccat antequam fiat sapiens: si aut non se accommodet ad accipiendum praeceptum aut cum acceperit non observet. **247.** Sapiens autem peccat si se averterit a sapientia. Sicut enim praeceptum non est ab illo cui praecipitur sed ab illo qui praecipit, sic et sapientia non est ab illo qui inluminatur sed ab illo qui inluminat. Quid ergo est unde non laudandus sit hominis creator? **248.** Bonum est enim aliquod homo et melius quam pecus ex eo quod praecepti capax et hoc melius cum praeceptum iam cepit, rursus hoc melius cum praecepto paruit et his omnibus melius cum aeterno lumine sapientiae

deest B

6 obtemperare *F* 7 praeceptum *M TA* optemperans *XL* 10 ut habere posset] habere posse *X* 11 quo] quod *α (cf. p. 126, 28)* 21 se non *L δ edd* 25 praecepit *TCA* 28 quod est *XK S*

beatus est. Peccatum autem malum est in neglegentia vel ad accipiendum praeceptum vel ad observandum vel ad custodiendam contemplationem sapientiae. **249.** Ex quo intellegitur etiam si sapiens primus homo factus est potuisse tamen seduci, quod peccatum cum esset in libero arbitrio, iustam divina lege poenam consecutam. Ita dicit etiam apostolus Paulus: Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Superbia enim avertit a sapientia, aversionem autem stultitia consequitur. Stultitia quippe caecitas quaedam est, sicut idem dicit: Et obscuratum est insipiens cor eorum. **250.** Unde autem haec obscuratio nisi ex aversione a lumine sapientiae? Unde autem haec aversio nisi dum ille cui bonum est deus, sibi ipse vult esse bonum suum, sicuti sibi est deus? Itaque Ad me ipsum, inquit, conturbata est anima mea; et: Gustate et eritis sicut dii.

251. Turbat autem considerantes quod ita quaerunt: 73.
'Stultitia primus homo recessit a deo an recedendo stultus factus est?' quia si responderis eum stultitia recessisse a sapientia, videbitur stultus fuisse antequam recederet a sapientia, ut stultitia illi esset causa recedendi. Item si responderis recedendo eum stultum esse factum, quaerunt utrum stulte an sapienter fecerit quod recessit. 'Si enim sapienter fecit, recte fecit nihilque peccavit; si stulte, iam erat', inquiunt, 'in eo stultitia qua factum est ut recederet. Non enim stulte aliquid sine stultitia facere poterat.' **252.** Ex quo apparet esse quiddam medium quo ad stultitiam a sapientia

---

7 *Rom. 1, 22 10 Rom. 1, 21 14—15 *Ps. 41, 7 15 Gen. 3, 5

---

deest B

---

2 accipiendum] capiendum $\alpha\,\delta$ *alt.* ad *om.* $M\,\alpha\,\gamma$ 4 esset $\gamma\,l$ potuisset $M\,K\,\gamma$ 5 seduci] peccare *V* seduci et peccare *m mg* '*Regius*' iusta $M\,\alpha\,K$ *edd* 6 poenam consecutum est γ poena consecuta est *edd* 8 a sapientia] sapientiam *L* 9 in stultitia *L* 16 quod] qui γ 17 stultitiane *edd* 20 causa esset $L\,S$ *edd* 21 eum recedendo *Y edd* 21 quaeritur *Y* 26 ab stultitia a sapienta *M* ab stultitia ad sapientiam γ

transitur, quod neque stulte neque sapienter factum dici potest, quod ab hominibus in hac vita constitutis non nisi ex contrario datur intellegi. **253.** Sicut enim nullus mortalium fit sapiens nisi ab stultitia in sapientiam transeat — ipse autem transitus si stulte fit non utique bene fit, quod dementissimum est dicere; si autem sapienter fit iam erat sapientia in homine antequam transisset ad sapientiam, quod nihilominus absurdum est; ex quo intellegitur esse medium quod neutrum dici potest —, ita et ex arce sapientiae ut ad stultitiam primus homo transiret, nec stultus nec sapiens ille transitus fuit. **254.** Velut in somno et vigiliis neque id est dormire quod obdormiscere neque id est vigilare quod expergisci, sed transitus quidam ex altero in alterum. Verum hoc interest, quod sine voluntate plerumque ista fiunt, illa autem numquam nisi per voluntatem, unde iustissimae retributiones consecuntur.

XV. 74. **255.** Sed quia voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet nisi aliquod visum, quid autem quisque vel sumat vel respuat est in potestate, sed quo viso tangatur nulla potestas est, fatendum est et ex superioribus et ex inferioribus visis animum tangi ut rationalis substantia ex utroque sumat quod voluerit et ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequatur. **256.** Velut in paradiso visum e⟨s⟩t ex superioribus praeceptum dei, visum ex inferioribus suggestio serpentis. Nam neque quid sibi praeciperetur a domino neque quid a serpente suggereretur fuit in hominis potestate. **257.** Quam sit autem liberum et ab omnibus difficultatis vinculis expeditum in ipsa sapientiae sanitate constituto non cedere visis inferioris illecebrae, vel hinc intellegi potest, quod etiam

deest B

4 transeat in sapientiam *Y* ad sap. tr. *a e l* 10 illi transitus *TCA* transitus ille *Y edd* 11 id est] idem *RV* idem est *Y* 18 sumet vel respuet *M α* 23 visum *om. X* e⟨s⟩t *Bulhart*, et *M TCA XK om. cet.* 24 et ex *X* 25 nam neque] namque *M TCA* 29 etiam *om. γ*

stulti ea superant ad sapientiam transituri, etiam cum molestia carendi perniciosarum consuetudinum pestilentiosa dulcedine.

258. Quaeri autem hoc loco potest, si homini praesto 75.
fuerunt ex utraque parte visa, unum ex praecepto dei, alterum ex suggestione serpentis, unde ipsi diabolo suggestum sit adpetendae impietatis consilium quo de sublimibus sedibus laberetur. Si enim nullo viso tangeretur, non eligeret facere quod fecit, nam si non ei aliquid venisset in mentem, nullo modo intentionem convertisset in nefas. **259.** Unde igitur venit in mentem quicquid illud est quod venit in mentem, ut ea moliretur quibus ex bono angelo diabolus fieret? Qui enim vult, profecto aliquid vult, quod, nisi aut extrinsecus per sensum corporis admoneatur aut occultis modis in mentem veniat, velle non potest. Discernenda igitur sunt genera visorum, quorum unum est quod proficiscitur a voluntate suadentis, quale illud est diaboli cui homo consentiendo peccavit, alterum a subiacentibus rebus vel intentioni animi vel sensibus corporis. **260.** Intentioni animi subiacet — excepta incommutabilitate trinitatis, quae quidem non subiacet sed eminet potius —, subiacet ergo intentioni animi prius ipse animus unde nos etiam vivere sentimus, deinde corpus quod administrat, unde ad quodlibet operandum membrum quod opus est cum opus est movet. Subiacent autem sensibus corporis quaecumque corporea.

261. Ut autem in contemplatione summae sapientiae 76.
— quae utique animus non est, nam est incommutabilis —, etiam se ipsum qui est commutabilis animus intueatur et sibi ipse quodam modo veniat in mentem, non fit nisi differentia qua non est quod deus et tamen aliquid est quod possit placere

deest B

1 superant ea *L S* 7 quo] quod *M T C A K γ Y* 10 igitur illi *V l*
14 sensum] sensus *β S* 18 a *G L δ edd, om. cet.* 24 sensui *T C A Y*
27 incommutabilis est *δ edd*

post deum. **262.** Melior est autem cum obliviscitur sui prae caritate incommutabilis dei vel se ipsum penitus in illius comparatione contemnit. Si autem tamquam obvius sibi placet sibi ad perverse imitandum deum ut potestate sua frui velit, tanto fit minor quanto se cupit esse maiorem. **263.** Et hoc est Initium omnis peccati superbia et Initium superbiae hominis apostatare a deo. Superbiae autem diaboli accessit malevolentissima invidia, ut hanc superbiam homini persuaderet per quam sentiebat se esse damnatum. **264.** Unde factum est ut poena hominem susciperet emendatoria potius quam interfectoria, ut, cui se diabolus ad imitationem superbiae praebuerat, ei se dominus ad imitationem humilitatis praeberet; per quem nobis aeterna vita promittitur, ut praerogato nobis Christi sanguine post labores miseriasque ineffabiles tanta caritate liberatori nostro adhereamus et tanta eius in eum claritate rapiamur ut nulla nos visa ex inferioribus a conspectu superiore detorqueant; quamquam et si aliquid hinc intentioni nostrae suggereretur, ab adpetitu inferiorum sempiterna nos diaboli damnatio cruciatusque revocarent.

77. **265.** Tanta est autem pulchritudo iustitiae, tanta iocunditas lucis aeternae, hoc est incommutabilis veritatis atque sapientiae, ut, etiam si non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitae pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. **266.** Non enim falso aut parvo adfectu dictum est: Quoniam melior dies

---

6 Sirach 10, 15 6—7 Sirach 10, 14 27—154, 1 *Ps. 83, 11

---

deest B

---

1 sui] cui *M TCA* qui *X* 2 in illius] nullius *M TCA* in eius *V* 3 sibi *L δ, om. cet.* 4 frui] uti *V* 9 esse se *L* 14 sanguine Christi *G* 15 inhereamus *V* 16 tanta] tamen *M FR* 17 inferioribus] infirmioribus *M α X F m 1 Y* 18 hinc] huic *α S edd* suggereretur *M* 26 contemneretur *M α F m 1* 27 melior est *γ Y edd ex Vulg.*

unus in atriis tuis super milia. Quamquam et alio sensu possit intellegi ut milia dierum in temporis mutabilitate intellegantur, unius autem diei nomine incommutabilitas aeternitatis vocetur.

267. Nescio me aliquid praetermisisse quod ex nostra responsione, quantum dominus praebere dignatus est, tuis interrogationibus desit. Quamquam et si aliquid tibi occurrit, modus libri nos iam finem facere et ab hac disputatione requiescere aliquando compellit.

---

deest B

---

2 posset *Y a* 3 incommutabilis aeternitas *L S* 7 tibi aliquid *Y edd*

INDEX LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE[1]

Gen.
3, 5: 150, 15
Ps.
13, 1: 40, 12 s; 82, 20 s
*18, 13 s: 115, 2 s
*24, 7: 131, 21 s
36, 4: 71, 21 s
*40, 5: 94, 3—5
*41, 7: 150, 14 s
52, 1: 40, 12 s; 82, 20 s
*83, 11: 153, 27—154, 1
*101, 27: 80, 17 s
Eccle.
*7, 26: 60, 17 s
Sap.
*6, 17: 77, 18 s
*7, 27: 80, 20 s
*8, 1: 68, 8 s
Sirach.
10, 14 s: 153, 6 s
Esai.
*7, 9 LXX: 6, 7; 41, 15 s
Matth.
2, 16: cf. 146, 10 s
7, 7: 41, 22 s
10, 30: cf. 84, 3 s
22, 30: cf. 114, 19 s
*25, 41: 114, 28 s
Luc.
7, 12—15: cf. 145, 13 s
20, 36: cf. 114, 19 s
Ioh.
*8, 31 s: 73, 9 s
*17, 3: 41, 20 s
Rom.
1, 21: 150, 10
*1, 22: 150, 7
*7, 15: 131, 24 s
7, 18: 131, 25 s
I Cor.
*3, 17: 124, 1 s
*6, 3: 114, 18
Gal.
*5, 17: 131, 26—132, 3
Eph.
*2, 3: 134, 22 s
I Tim.
1, 13: 131, 19 s
6, 10: cf. 130, 2 s
Iudas
6: cf. 127, 7—9

[1]) Primo numero indicatur pagina, secundo linea, asterisco lectio a Vulgata differens, verbo cf. non afferri ipsa verba scripturae.

INDEX LOCORUM RELIQUORUM SCRIPTORUM

Augustinus, Confessiones
1, 5, 6:cf. 115, 2 s
3, 7, 12: cf. 5, 25
4, 3, 4: cf. 94, 3—5
7, 7, 11: cf. 5, 25
8, 11, 26: cf. 133, 19 s

Augustinus, Epistulae
143, 5: cf. 118, 22 s
166, 7: cf. 138, 8
166, 18: cf. 145, 17—146, 12
226, 8: cf. 144, 20 s

Augustinus, De magistro
14, 45: cf. 39, 13 s

Augustinus, De natura et gratia
67, 81: cf. 132, 3—133, 12; 133, 21—134, 2; 134, 18—23

Augustinus, Retractationes
1, 8, 3: cf. 4, 4; 26, 1—4; 29, 12—15. 27—30; 30, 29—31, 2; 34, 25—27; 38, 7—8; 82, 12 s; 91, 31—92, 6; 96, 12—16; 128, 10—17
1, 8, 4: cf. 85, 4 s. 7—19; 87, 23—26; 88, 16—20
1, 8, 5: cf. 133, 7—12

Lucretius
1, 80—82: cf. 14, 11

INDEX NOMINUM ET RERUM

Adam et Eva 133, 15 s
adulterium 7, 8—8, 24; 34, 16
alimentum arborum 18, 29; mansum nutrices infantibus reddunt 55, 18 s; naribus capimus 55, 30 s
angeli dei 114, 20; diaboli 114, 23—29; 120, 7 s; Christus panis angelorum 116, 3—5; ex bono angelo diabolus factus 152, 12
anima omni corpore melior est 103, 24; animae origo 135, 11—138, 27
apostoli et martyres 8, 12; apostolus Paulus 150, 6
auditus 44, 23; 45, 4; 47, 1; 50, 8. 10; 53, 21. 23
auriga 21, 5
avaritia 130, 3—11
aversio a bono peccatum est 88, 10; cf. 79, 22; 87, 10; 135, 6; 150, 8—12
baptismus quid parvulis prosit 145, 6
beatitudo, vita beata: omnes adpetunt 61, 29; nemo beatus nisi summo bono 62, 9; notio mentibus impressa 62, 12
beluae, bestiae, pecora: ab hominibus domitae nullo modo hominem subiugare conantur 16, 30—17, 6; 20, 18—20; superant hominem viribus corporis, superantur ratione vel intellegentia 17, 7—18; multa cum hominibus communia habent 74, 24 s; 18, 27—19, 8; dolores pecorum 146, 13—147, 12
bubulcus 21, 4
cadaver 43, 2—4
catholici tractatores divinorum librorum 138, 13
Christus 8, 17; 75, 14; 88, 19; 114, 26; 145, 6; 153, 14
cloaca mundatur a servo in peccato detecto 113, 1 s
deum esse quomodo manifestum sit 42, 5—75, 28
diabolus 114, 29; 115, 12. 17; 116, 20; 117, 8; 137, 15; 152, 6—17; 153, 7. 11. 19
difficultas cf. ignorantia
disciplina 4, 10—29; 75, 14; 92, 3; 139, 4
ecclesiae auctoritas 145, 10; 146, 12
Eva 133, 16
Evodius 3, 3 et apparatus
femina decepta 116, 23
fides et intellectus 41, 9—16; cf. 6, 7; 7, 22; 10, 12; 22, 20 s; 24, 8; 61, 16 s
fortitudo 26, 24—26; 27, 17—23; 84, 27
fortuna quam caecam effingere consuerunt 93, 17 s
graeca lingua 134, 14
Herodes 146, 11
gustatus 18, 32; 43, 13. 27; 44, 24; 47, 3; 52, 1; 54, 10; 55, 19

homicidium 7, 8; 8, 29; 9, 15—10, 1
Iesus 88, 19; 114, 26
ignorantia et difficultas duo poenalia 133, 6; non est natura instituti hominis sed poena damnati 133, 10; quare cum eis nascamur 133, 16; aut officio susceptae sunt aut inrogatae supplicio 148, 4
infantes alimenta mansa a nutricibus accipiunt 55, 18; iudicia parvulorum contemnenda 104, 28; de mortibus et cruciatibus eorum 145, 20—146, 9; ab Herode occisi 146, 11
intellectus, intellegentia cf. fides; bonum est 5, 8—11; 18, 16—21; qua homo excellit 17, 9—11; 42, 21—28; superior vita est 18, 9—13; non inest bestiis 49, 11; qua numeros cernimus 58, 24
iudex 9, 30; 49, 26
iustitia virtus qua sua cuique tribuuntur 27, 2; 28, 5. 10; 38, 1; 84, 24
latina lingua 134, 14
lex vetat male fieri 7, 12; utrum quae punit non perperam puniat 10, 15; dat potestatem occidendi 11, 26—13, 13; lex humana temporalis, lex divina aeterna 13, 16—16, 14; regnum in libidines aeterna lege menti concessum 21, 18 s; sub aeterna lege agunt amatores rerum aeternarum, ceteris temporalis imponitur 32, 6—27
liberum arbitrium quare deus homini dederit 37, 2; in quo homo factus est 133, 11
libido in adulterio malum est 8, 21—27; in omni malefacto dominatur 9, 1. 26 s; 10, 18—28; alio nomine cupiditas vocatur 9, 3; 10, 28; non est mente potentior 21, 18—23; cohibetur virtute 27, 30; regnum libidinis 23, 29; 24, 3. 14; diabolus libidini subiugavit homines 116, 29
lingua graeca, latina 134, 14
lucerna a mendico accenditur 69, 8 s; nocturnis usibus apta 110, 25 s
lux corporea: lux solis 72, 25; in corporibus tenet primum locum 103, 28; per oculos corporeos sentitur 111, 14
lux interior (mentis, veritatis, sapientiae): 18, 12; 23, 18; 36, 5; 57, 17; 60, 2; 63, 27; 73, 2; 104, 21
martyres 8, 12; 146, 11
medicina, medicus 34, 17; 55, 31; 109, 19; 115, 26; 119, 12
mens cf. ratio; 18, 12; 19, 23; 20, 7—26; 21, 1—23; 22, 7; 34, 28; 35, 5; 51, 4; 57, 17
meretrices 71, 25
miles, militia 9, 30; 60, 27; 137, 15
mortis voluntas absurda 108, 11—110, 5
natura omnis bona est 120, 23—121, 12
notiones impressae mentibus nostris 62, 11—17; cf. 27, 4; 76, 31
numerus cf. sapientia et numerus; ratio numerorum omnibus communis est 56, 30—60, 9; formas habent omnia quia numeros habent 77, 28—78, 25
olfactus 18, 32; 43, 12. 25; 44, 23; 47, 1 s; 52, 1; 74, 4
paradisus 151, 23

parvuli cf. infantes
passer 105, 2 s
pastores 21, 4
Paulus 150, 7
φιλαργυρία: avaritia quae graece φιλαργυρία dicitur 130, 6
populus bene moderatus recte sibi magistratus creat 14, 25—30; depravatus recte in unius arbitrium redigitur 15, 1—8
praescientia dei insanissima impietate negatur 92, 27; praescientia et libera voluntas quomodo non sint contraria 94, 12—98, 17; non cogit peccare 99, 14
propheta 6, 6; 80, 19
providentia dei 13, 19. 23; 36, 6; 87, 5; 93, 25
prudentia adpetendarum et vitandarum rerum scientia 26, 21; cf. 27, 13. 16; 84, 27
pudicitia 11, 20; 13, 6
ratio cf. intellectus; qua homo excellit 17, 9—11; bestiarum animis non inest 17, 15—30; cui dominatio debetur 19, 15—25; mente carere non potest 20, 22—26; non eadem est atque sensus interior 44, 11—27; potest discernere colorem et sensum oculorum et interiorem sensum et rationem ipsam 45, 13—23; ministris suis potentior est 46, 22—27; et eos iudicat 50, 19—27; nihil ratione sublimius 51, 2—14; num ipsa ratio deus sit 51, 15—25; suam rationem unus quisque habet 53, 3—8; ratio numerorum omnibus praesto est 67, 2—5; 56, 23—57, 7; ad sensus corporis non pertinet 60, 7; aliter aestimat ratio, aliter usus 104, 20
rotunditas 102, 6—9; cf. 43, 32
sacramentum baptismi 145, 6
sacrilegium 7, 8; 8, 29; 11, 16
saltatio 78, 13 s
sapientia et numerus in sanctis libris coniuncta 60, 17; 67, 12; eorum regulae omnibus communes 67, 2—9; quare numerus vilis, cara sapientia 68, 1—28; utrumque carum habent docti 69, 1—28
scientia cf. intellectus; per disciplinam datur aut excitatur 4, 14; melior quam ipsa vita 18, 9—14; nihil aliud est quam ratione habere perceptum 17, 25; 45, 2; 47, 12
scripturae sanctae 67, 12; 68, 4; 141, 27; cf. 68, 8
sensus corporis 18, 31 s; 43, 11—44, 16; pp. 45—52 passim
sensus et opinio 109, 6—30
sensus interior 44, 15—29; pp. 45—50 passim
serpens (= diabolus) 151, 24. 26; 152, 6
sol 111, 4—7. 13; 124, 6
stuprum, stuprator 11, 28; 12, 1; 13, 8
substantia vivens non viventi praeferenda 22, 2; substantia dei 104, 10; 138, 17; 139, 16—21; = natura 121, 10
summe esse 107, 7—13; cf. 75, 18; 79, 20; 108, 4
summum bonum in veritate cernitur 61, 22; hominem facit beatum 62, 6; omnibus unum est 62, 28—63, 29; veritati inherere summum bonum est 75,

27; cogitare non possunt Manichaei 146, 23
superbia cuius persuasione homo deiectus est 115, 24 s; avertit a sapientia 150, 8; initium omnis peccati 153, 6—12
tactus 18, 32; 43, 29; 44, 1. 24; 50, 16; 51, 31; 55, 7 s
temperantia cohibet adpetitum ab his rebus quae turpiter adpetuntur 26, 28; cf. 27, 29; 84, 27 s
tibiae 72, 7
trinitas 139, 20 s; 152, 20
unitas: omnia unitatem creatoris praedicant 147, 1—148, 3; cf. 113, 5; 139, 24
vacca 104, 27
veritas in cuius luce cernitur summum bonum 62, 4; 72, 20; cf. 36, 5; intus docet 39, 14; excellentior quam mens nostra 70, 18—71, 16; libertas est cum veritati subdimur 73, 6; summa rerum forma est 84, 2
vinum bonum inferius est homine inebriato 103, 13—23
virtutes quattuor cf. fortitudo, iustitia, prudentia, temperantia
visus 44, 1; 45, 4; 47, 16

INDEX VERBORUM ET LOCUTIONUM

absum: absit ut 69, 11
abfuerit 49, 27
absumo 54, 15
ad 84, 21
adminiculo 139, 29
adtendo me = animum attendo 141, 1
adversitates 65, 22
aequalis sibi 114, 22
aeternalis 34, 23
ago: actum est mecum 6, 3 (cf. Thes. l. L. I 1385, 78. 1386, 20)
aliquando = umquam 15, 24
aliqui = ullus 5, 11. 57, 10
aliquis = alter 15, 13. 73, 22; = quis 57, 9
aliquo = aliqua re 20, 20
alius = alter 3, 7
amplius = magis 57, 7
apostato 153, 7
arguo ex 143, 13
articulatus 58, 7
bestialis 146, 28
caeco 136, 1
catholicus 138, 13
celeritates 19, 3
circumfluentia 153, 25
circumfulgentia 79, 15
comperio = reperio 28, 15 (cf. Thes. 2055, 26)
computator 56, 32
conducibiliter 109, 16
congruus 87, 6. 102, 5. 119, 23
consequenter 29, 24. 144, 5
consubstantialis 69, 13
contentiose 110, 28
convenientia 69, 22
copulatio 57, 16
credo c. dat. et acc. c. inf. 40, 22. 28
defectivus 88, 11
deputo = ascribo 91, 18. 98, 28. 105, 14 al.
desputo 55, 26
devio 4, 30
devote 118, 10
dilectio 27, 6. 139, 13
dilector 28, 30
dinosco = discerno c. acc. c. inf. 16, 20
diremptio 147, 23
dirigo 73, 1 (v. appar.)
disparilitas 118, 20
ecce tibi 71, 19 (cf. Thes. 32, 22)
eloquium 140, 3
elucesco 47, 14
emendatorius 153, 10
enim 37, 4 (cf. Thes. 572, 63)
etiam 11, 12
evigilatus = elaboratus 30, 16
examinator 71, 3. 146, 14
excello c. dat. 22, 24. 135, 18
exorsum = initium 142, 9
formabilis 80, 5. 81, 14
formatus = formosus 78, 15
habitus = acceptio, τὸ σχεῖν, σχέσις 116, 15 (Thes. 2486, 53)
heretici 5, 26
hilariter 77, 18. 78, 27. 80, 28
hinc = de hac re 88, 24. = ex hoc 25, 7
hodieque 97, 6

humilio 117, 10
iam = etiam 8, 22 (Thes. 123, 55). concessive: 90, 23 (Thes. 127, 60)
idem = is 14, 20 (cf. Thes. 205, 43)
immisericorditer 114, 27 (inm—)
imperfectio 124, 29
incomprehensibilis 147, 27
inconvenienter 108, 12
incorruptio 65, 16. 66, 12. 136, 23. 29
inculpabilis 89, 16. 17. 143, 1
indiguus 79, 21
ineffabiliter 92, 23. 119, 3. 120, 4. 121, 26. 27
infidelitas = status eorum qui fidem Christi denegant 117, 6. 140, 13
infime 108, 6
iniquus = inimicus 27, 31
inordinate 146, 24
inquietudo 110, 1
insinuo = praedico 148, 3
institutor 100, 16
intellegens 15, 23
intendo = in animo habeo 16, 28
interfectorius 153, 11
invertibilis 60, 7
invicem: ab i. 9, 8. 45, 13. 19. 69, 14. cf. 46, 23
invidentia 115, 8
iocunditas 153, 21
ipse: id ipsum 29, 26. = iste, hic 14, 20. iste ipse 30, 18. 31, 1. pro articulo: 38, 7. 49, 23. 50, 7. 10. 59, 25
iste: istuc 17, 6. 24, 17. 35, 27. 40, 23. iste ipse: 30, 18. 31, 1.
itane 11, 1. 83, 31
itaque = autem 113, 9
loquor = loquendo efficio 147, 15
manifestatio 127, 8
manifesto 69, 24. 89, 1
mansuetarius = qui animalia mansuefacit 21, 3
medietas 103, 5
moderator 49, 26
multus: plura = plurima 11, 16. multum adv. 74, 8. 148, 10
mundatio 113, 4
mundo 113, 2. 9. 115, 2
natura 121, 20
neque = ne ... quidem 13, 8. 26, 14. 76, 11. 128, 17. = non 126, 15
nihil = non 30, 26. 37, 22. 130, 1
non tam ... sed etiam 11, 4
notio 16, 4. 27, 4
numerarius, numerator 67, 17
numerosus 78, 2. 11
numquidnam 25, 17
obstaculum 74, 22
obtineo 42, 1
omnimodus 109, 29
ordinatio 102, 22. 106, 20
ordinator 105, 29
ordino 100, 18. 115, 16
ordo 114, 2
originaliter 134, 28
parilitas 118, 19
particulatim 7, 6
parum = non 25, 22. 54, 19
pendo = aestimo 14, 27. 25, 18. 28, 13
penso = aestimo 32, 31
perceptor 57, 4
percognosco 21, 11
perplexitas 138, 14
persisto 31, 29
pervolo (pervellem) 20, 12
phantasia, phantasma 60, 1
plerumque = saepe 8, 9. 83, 18
porro = autem, sed 106, 11. 130, 12

possum: potest impers. = fieri potest, possibile est 22, 16 (v. appar.)
potentia 85, 9
prae 29, 28
praefiguratio 140, 21
praepotens 46, 24
praerogo = antea do 127, 23. 153, 14
praevaricator = peccator 114, 23
procuro = paro 139, 2
provectus 105, 4. 134, 29. 139, 23
qua = quia 54, 24 (v. appar.)
quaerito 123, 23
quaeso te 3, 3. 39, 6. 41, 5. 51, 23. 76, 2. 15
qualiscumque 82, 21. 139, 8. 144, 28. c. coni. 22, 4
quam c. compar. 50, 25. = quam certe 27, 9
quamlibet c. superl. 104, 9
quamquam c. coni. 50, 21
quamvis c. superl. 48, 11
quanto = tanto magis quanto 74, 17
quantuluscumque c. coni. 58, 7
quantum 104, 16
quantuscumque 42, 6. 81, 17
quaqua versum 23, 25
quasi qui = utpote qui 6, 23
quicumque 42, 6. 43, 17. 104, 16. 120, 14. 122, 25. 139, 9
quidem 88, 8
quippe = enim 72, 22. 82, 10. 87, 27. 113, 30
quis = quisquam 70, 32. 84, 28
quisque = aliquis 3, 7. 12, 27. = quicumque 35, 6. 61, 3. 77, 27
quisquis = quicumque, quilibet 81, 21. 87, 25. 131, 3
quo: eo ipso quo 21, 23
ratio = ratiocinatio 17, 24. 29, 25. 31, 6. 32, 14. 100, 25
rationabiliter 120, 1
recenseo = lego 8, 10
rectus 31, 14
redditio 125, 19
refero 34, 30. 82, 12
reflo 56, 1
reluctanter 147, 6
renitenter 147, 5
replico = repeto 131, 7
resono 130, 7
retraho 57, 18
retributio 151, 15
sacramentum 145, 6
saltem 5, 8. 124, 8. saltim 7, 6. 20, 17. 40, 8. 126, 13.
sapio 32, 8
secretarium 78, 25
sedulo 28, 24
seiunctio 118, 16
sequor 19, 26
sive ... sive c. coni. 4, 22. 52, 11. 75, 11; c. indic. 18, 24. 33, 28
sordido 100, 19
spiramentum = pulmo 53, 30
spontaneus 114, 30
stultitia 148, 27
stuprator 11, 28. 13, 8
subiugatio 21, 2
subiugo 16, 31. 17, 4. 22, 10. 116, 22. 30. 140, 3
subtexo 113, 6
subvelo 74, 21
sufficienter 50, 9
suggestio 151, 24; 152, 6
summitas 84, 5
supercaelestis 117, 23
superfluo (adv.) 144, 29
tabefacio 100, 9
tam c. superl. 113, 1. 9
tametsi c. coni. 22, 26

tantum abest ... ut 105, 13. tantum abest, ut ... ut 111, 29
tempus: per tempora 15, 16 (cf. l. 32)
tenebro 79, 18
tŏtus 59, 26
tractator 138, 13
traduco 115, 9
traicio 144, 13
tralego 125, 16. 17
ubi = quomodo 58, 17. 64, 11
ubicumque c. coni. 58, 19
universum 3, 16
utor c. acc. 123, 14 (v. appar.)
utquid 104, 15
valentia 19, 2. 124, 4
valeo 115, 17
vario 16, 10
vegeto 51, 8
ventilator 146, 14
verbum = Christus 115, 29. 11(2. 10. 20
veritas = Christus 84, 4
video: visum 151, 23. 19. 152, 5.
virtus dei = Christus 6, 27
vituperatio 124, 14